BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
13 — C
46

V. II. 25

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# ELUCIDARIUM MORALE

*SIVE*

BREVIS NOTITIA, ET DECLARATIO

PRÆCEPTORUM

Pro ſalute æterna obſervandorum

*AB ADMODUM REVERENDO PATRE*

SIMEONE A S. CRUCE

Ordinis Diſcalceatorum S. AUGUSTINI
Congregationis Italiæ, & Germaniæ

ROMANO.

*Additis reſolutionibus nonnullorum dubiorum de Indulgentiis.*

SECUNDA EDITIO.

Bibl. S.Pudent. 29 Maij.1708
VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA



ROMÆ, MDCCIII. Typis Georgii Plachi Cælaturam Profitentis, & Characterum Fuſoriam, in Platea Eccleſiæ S. MARCI.

*SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google

Digitized by Google

# LECTOR BENEVOLE.

*HAVD miſeris, ſi inter tot magnos, varioſque libros, qui circumdati varietate opinionum deaurato veſtitu Chriſti ſponſam exornant; etiam meus hic imbecillis aúdeat apparere. Non mea fuit intentio, uſum, ac veſtigia ſequens Scholaſticorum, Sapientibus eſcam porrigere, ſed tantùm parvulis panem. Parvulis inquam illis, qui conſcientiæ ſectantes timorem, & non Sapientiæ pertingentes metam, Spirituali neſciunt vivere vita, ni panis frangatur, & claritate luminis, Chriſtus, qui omnium eſt vita, eos doceat, Hinc vulgari ſtylo librum hunc contexui Italico idiomate, ac talem edere ſtudui, ut debilioribus, & infirmis ſublimia non valentibus aſcendere, ac montes, in inferioribus ſanitas porrigeretur. At verò ab aliis juſſus, licèt coactus Latina methodo in lucem profero, plus obedientiæ ſacrificium diligens, quàm miſericordiam: benevola tamen excipe mente, libenterque illum oculis percurre. Quod ſi parvitas tuum revocet animum, certiores, ſolidioreſque Sanctorum Patrum, & Doctorum re impellant doctrinæ. Has non omnes eligi, has non modernas conſcripſi, has non falſas ſuſcepi, & illas, utpotè tutiores, omnibus ut tutamen eſſent, porrexi. Hic nec novatorum falſitas, nec nova probabilitas, ſed certa ſecuritas, & antiqua ſinceritas apparebit, hic non opiniones à Summis Pontificibus damnatas, non errores à Theologicis gymnaſiis excluſos, ſed firmiores, præcipuè D. Parentis Auguſtini, ac Præceptoris Angelici veritates, quæ conſcientiis proficuæ ſint, tantummodo poſui. Intende igitur animum, & ſi quid boni repereris, Deum, qui bonorum omnium fons eſt, extolle: ſi verò quid mali, meæ tribue imbecillitati. Vale.*



Digitized by Google

MAndante Reverendiſs. P. Noſtro, Fr. Valeriano à S. Cecilia Fratrum Diſcalceatorum Ordinis S. Auguſtini Congregationis Italiæ,& Germaniæ Vicario Generali, attentè perlegimus opus inſcriptum: *Elucidiarum Morale, ſivè brevis notitia, & declaratio Præceptorum ad æternam ſalutem obſervandorum* à R.P. Simeone à S. Cruce olim Sacræ Theologiæ Præ-Lectore compoſitum, & non modo nil in eo reperimus, quod à Sanctæ Fidei dogmatibus, & probis moribus diſſonet, verùm etiam fatemur non pauca ex eo didiciſſe, & in eo ſanam, ſolidamque doctrinam obſervaſſe, à Sacris Canonibus, Apoſtolicisque Conſtitutionibus, & Sanctis Patribus excerptam. Quapropter ſalvo ſemper meliori judicio utiliſſimum futurum omnibus arbitramur ſi prælo ad communem uſum mandatum fuerit. Datum in Collegio noſtro JESU MARIAE de Urbe hac die 1. Novembris anni 1707.

*Fr. Nicolaus à S. Jo: Baptiſta S. Theologiæ Profeſſor, & Ex-Lector.*

*Fr. Vincentius à S. Franciſca in ſupradicto Collegio S. Theologiæ Lector, & Caſuum Conſcientiæ ad Parochos, & Confeſſarios Urbis Deputatus.*

Nos Fr. Valerianus à Sancta Cecilia Fratrum Eremitarum Diſcalceatotum Ordinis S. P. N. Auguſtini Cogregationis Italiæ, & Germaniæ Vicarius Generalis.

*Dilecto Nobis in Christo Rev. Patri Simeoni à Sancta Cruce.*

OPus, cui titulus *Elucidarium Morale &c.* à Rev. P. Simeone à S. Cruce noſtræ Congregationis Sacerdote Profeſſo, olim S. Theologiæ Præ-Lectore, compoſitum, & à Patribus Theologis, jam per Nos deputatis, reviſum, & approbatum, Typis mandari poſſe, præſentium vigore, Noſtrique muneris poteſtate, ſervatis tamen ſervandis, facultatem impartimur. Datum Romæ in Conventu noſtro JESU MARIAE de Urbe die 7. Februarii 1708.

Fr. Valerianus à S. Cecilia Vicarius Gener.

Loco ✠ Sigilli.

*Fr. Petrus à S. Andrea Secr. Gen.*

*Reim-*

Digitized by Google

*Reimprimatur,*

Si videbitur Reverendiſsimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*Dominicus de Zaulis Epiſcop. Verulanus Viceſg.*

*Reimprimatur,*

Fr. Paulinus Bernardinius Ord. Prædic. Sac. Apoſtol. Pal. Mag.

IN-

Digitized by Google

# INDEX TRACTATVVM, ET DVBIORVM,

## Quæ in hoc Opere continentur.

*PRænotanda Generalia.* pag. 1. *uſque ad* 9.
*In quo conſiſtat Superbia, & quale peccatum ſit. dub.*1. 10.
*In quo conſiſtat Avaritia, & quale peccatum ſit. dub.*2. 11.
*In quo conſiſtat Luxuria, & quale peccatum ſit. dub.*3. 12.
*In quo conſiſtat Invidia, & quale peccatum ſit. dub.*4. 14.
*In quo conſiſtat Ira, & quale peccatum ſit. dub.*5. 15.
*In quo conſiſtat vitium Gulæ, & quale peccatum ſit. dub.*6. 16.
*Quid ſit Acedia, & quale peccatum ſit. dub.*7. 17.
*De præceptis decalogi.* 19.
*De primo præcepto decalogi.* 19.
*In quo conſiſtat, & quotuplex ſit adoratio. dub.*1. 20.
*Quomodo ſit adorandus Deus per Fidem. dub.*2. 23.
*Quomodo ſit adorandus Deus Spe. dub.*3. 26.
*Quomodo adorandus ſit Deus Charitate. dub.*4. 27.
*Quot modis peccetur contra hoc primum præceptum. dub.* 5. 29.
*De obligatione recitandi Divinum Officium, aut Horas Canonicas. dub. ult.* 36.
*De ſecundo præcepto decalogi.* 42.
*Quomodo peccetur Juramento. dub.*1. 42.

*Quo-*

*Quomodo peccetur Blaſphemia .dub.2. 47.*
*Quomodo peccetur contra Votum .dub.3. 49.*
*Quænam ſint Vota ſolemnia, & quomodo contra ipſa peccetur. dub.4. 54.*
*De tertio præcepto decalogi. 57.*
*Quænam opera probibeantur ratione hujus præcepti. dub. 1. 57.*
*Quænam ſint opera illa, quæ fieri debent in diebus feſtivis. dub.2. 60.*
*De quarto præcepto decalogi. 62.*
*Quomodo teneantur Filii honorare proprios Genitores? dub.1. 63.*
*Quænam ſint obligationes Parentum erga Filios.dub.2.65.*
*De quinto præcepto decalogi. 66.*
*Quid veniat à Deo probibitum in hoc præcepto. dub.1. 68.*
*Quando licitum ſit bomicidium. dub.2. 73.*
*Quænam ſit Reſtitutio, ad quam tenetur, qui notabile damnum bomicidio, vel alio modo ſupradicto proximo ſuo intulit. dub.3. 75.*
*De ſexto pręcepto decalogi. 78.*
*Quot ſint ſpecies peccatorum per boc præceptum probibitorum. dub.1. 79.*
*In quo conſiſtat peccatum contra naturam. dub.2. 85.*
*De tactibus diverſis impuris. dub 3. 89.*
*De ſeptimo præcepto decalogi. 91.*
*In quo conſiſtat Furtum. dub.1. ibid.*
*Quot modis poſſit tranſgredi boc præceptum. dub. 2. 97.*
*Quis teneatur ad reſtitutionem. dub.3. 99.*
*Quomodo peccetur contra boc præceptum per uſuram. dub. 4. 107.*

*Quæ*

Digitized by Google

*Quæ peccata committantur in cmptione, & venditione. dub.5. 112.*
*Quomodo peccetur contra boc idem præceptum per Simoniam. dub.6. 117.*
*De octavo præcepto decalogi.* 121.
*Quid & quot ſint mendacia. dub.1.* 121.
*Quotupliciter ledi poſſit fama alterius. dub.2.* 124.
*An ſit licitam revelare ſecretum. dub.3.* 130.
*Quot modis lædi poſſit honor alterius, & quomodo reſtituatur. dub.4.* 136.
*Quid ſit murmuratio. dub.5.* 138.
*De præceptis S. Eccleſiæ.* 139.
*Quid & quotuplex ſit Jeiunium. dub.1.* 139.
*Quomodo inſtitutum ſit Jeiunium. dub.2.* 146.
*Quis teneatur ieiunare, aut ſit exemptus à ieiunio, & quænam ſit hora ad prandium deſtinata. dub.3.* 147.
*De Cenſuris Eccleſiaſticis.* 159.
*De Caſibus reſervatis.* 168.
*De Indulgentiis.* 169.

PRÆ-

Digitized by Google

# PRÆNOTANDA
## GENERALIA.

1. QUOD peccatum mortale, prout habet noſter S. P. Auguſtin. *lib.* 22. *cap.* 27. contra Fauſtum, & Magiſter ſent. *in* 3. *diſt.* 25. non eſt aliud, quàm dictum, factum, ſeu concupitum contra legem Dei æternam, & propter hoc non eſt dicendum, faciendum, nec concupiſcendum obiectum diſſonum rationi. Vnde dicit D. Thomas 1. 2. *quæſt.* 71. *art.* 6. *peccatum nihil aliud eſt quàm actus humanus malus -Habet autem actus humanus, quod ſit malus ex eo, quod caret debita commenſuratione. Omnis autem commenſuratio cujuſcumque rei attenditur per comparationem ad aliquam regulam, à qua ſi divertat, incommenſurata erit. Regula autem voluntatis humanæ eſt duplex. Vna propinqua, & homogenea, ſcilicet ipſa humana ratio: alia vero eſt prima regula, ſcilicet lex æterna, quæ eſt quaſi ratio Dei, Et ideò Auguſtinus in Definitione peccati poſuit duo, unum quod pertinet ad ſubſtantiam actus humani, quod eſt quaſi materiale in peccato, cùm dixit, Dictum, vel Factum, vel concupitum, aliud autem quod pertinet ad rationem mali, quod eſt quaſi formale in peccato, cùm dixit, contra legem æternam*, ità D.

2. Quod peccatum veniale in hoc differt à peccato mortali, quod illud non privat gratia, & charitate, ſicuti peccatum mortale, prout ait S.P. Auguſtinus: quamobrem dicitur à Doctoribus non contrarium legi in ſenſu proprio, & germano, ſed præter legem. Quia quamvis Deus poſitivè non prohibuerit actionem venialiter peccaminoſam; (Quare Div. Th. *quæſt.* 88. *art.* 1. *ad* 1. ſic habet. *Venialiter peccans non facit, quod lex prohibet, nec prætermittit id, ad quod lex per præceptum obligat, ſed facit præter legem: quia non obſervat modum rationis, quem lex intendit*) Non propter hoc illam

vult, quinimò abſolutè illam non vult, cùm ſit nimis propinqua, & diſpoſitiva ad culpam gravem, ut ait D. Thomas 1. 2. *quæſt.*88. *art.* 3. & alii apud Bonacc. de peccatis *diſp.*2. *quæſt.* 3. *punct.*2. *num.*3. Item, quod in motibus habitis à ſenſu mediis paſſionibus proponendo Nobis aliquod obiectum peccaminoſum, ita poſſumus operari, ut vel peccemus mortaliter plenè conſentiendo cum debita advertentia, ut actus ſit propriè, & completè deliberatus, prout formaliter requiritur ad peccandum mortaliter, vel peccemus venialiter non plenè conſentiendo ob defectũ totalis; & diſtinctæ advertentiæ ad malitiam actionis, quæ nobis proponitur, ad quam tamen confusè, & imperfectè advertimus advertentia, ſeu conſideratione imperfecta, ſive actu imperfecto, quod totum approbat D. Th.*quæſt. ſupradicta art.*5.*ad* 1. his verbis. *Dicendum ergo, quod cùm ira ſit motus animi ad nocendum proximo, ſi ſit tale nocumentum, in quod tendit motus iræ, quod ex genere ſuo ſit peccatum mortale, ſicut homicidium, vel furtum, talis ira ex genere ſuo eſt peccatum mortale: ſed quod ſit peccatum veniale, habet ex imperfectione actus, in quantum eſt motus ſubitus ſenſualitatis: ſi verò ſit diuturna, redit ad naturam ſui generis per conſenſum rationis.* Et clariùs in reſponſione ad ſecund. *Dicendum, quod delectatio moroſa non dicitur eſſe peccatum mortale niſi in his, quæ ex ſuo genere ſunt peccata mortalia, in quibus ſi delectatio non moroſa ſit, peccatum veniale eſt ex imperfectione actus, ſicut & de ira dictum eſt: dicitur enim ira diuturna, & delectatio moroſa propter approbationem rationis deliberantis.* Vel nullo modo peccamus ob totalem, & inculpabilem inadvertentiam ad dictam malitiam actionis, quæ proponitur, ut in motibus primo primis. Cajet. *in Summa verb. Delectatio*, Navarr. *prælud.* 9. Azor. 1. *par. lib.*4.*cap.*5.*quæſt.*4. Filiuc.*tract.*21. *cap.*6. *num.*250.& 376. & alii paſſim. Advertendum tamen, quod una actio, quæ ſecundum ſe conſiderata, eſt peccatum veniale, v.g. verbum otioſum poteſt fieri mortale ex diverſis reſpectibus, & rationibus. D. Thom. 1.2. *quæſt.*88. *artic.* 2. & 4. Clavis Regia *lib.* 2. *cap.*13. *num.*13. Primò, ſi aliquis crederet, quod illud peccatum veniale, ſcilicet verbum illud otioſum, v.g. ſit peccatum grave, & mortale. Secundò, quando fit, ſeu committitur unum peccatnm veniale, ut inde unum peccatum mortale conſequatur, v.g. ſi aliquis manducaret aliquem cibum ſuperfluum abſq; neceſſitate(quod ſecundùm ſe veniale eſt) ut provocaret, & ſenſum moveret ad peccatum luxuriæ. Iidem cum Reginaldo *lib.*15,*num.*32.Suarez, & alii. Tertiò, quando ex illo peccato levi ſequitur grave ſcandalum, præviſum tamen, & præcognitum. v.g. Si aliquis Religioſus

gioſus

gioſus proferret unum verbum obſcęnum in pręſentia ſęcularium, qui ut plurimùm grave ſcandalum ſumunt ex illo, abſque eo quod prius debitam reflexionem fecerit, quod illi tales ſcandalum ſumpſiſſent: ſi tamen de hoc notitiam habebat. Covarruvias *reg. pec.par.2.§.7.num.6.*Quartò,& ultimo,cùm aliqua tranſgreſsio alicujus legis, ſeu præcepti committitur, quæ non obligat ad culpam ſaltem gravem ob contemptum ejuſdem legis, & præcepti, ſeu Superioris, qui illud imponit. Navarr. *cap.* 23. *num.* 41. Salas, Sanchez, & alii.

3. Quod peccatum actuale diſtinguitur ab habituali per hoc, quod actuale cõſiſtit in illa actione peccaminoſa, quam actualiter, & de præſenti committimus: habituale verò in illa macula, quę remanet in peccatore poſt commiſſum peccatum,non retractante per actum contrarium illud peccatum commiſſum: per quam maculam remanet anima privata gratia ſanctificante, & fit rea ęternæ pœnæ, ut habet D. Tho. 1. 2. *quæſt.*88.*art.*1.*&*2. *& qu.*87. *art.6.* Diſtinguitur etiam ab originali per hoc, quod illud committitur à nobis, originale verò commiſſum fuit à noſtris primis Parentibus Adamo, & Hæva, & tranſfunditur ad nos per ſemen infectum à culpa per ipſos commiſſa; quamquam à nobis actualitèr non committatur: quando tamen per privilegium particulare (ſicuti in Beatiſſima Virgine) hoc non impediatur.

4. Quod peccatum commiſsionis diſtinguitur à peccato omiſſionis: quia peccatum commiſsionis eſt, quando aliquid committitur contra legem, ut ſupra: peccatum verò omiſsionis eſt,quando aliquid non fit, quod lex jubet fieri. Vnde peccatum commiſsionis opponitur pręcepto negativo, quod negat, & prohibet hoc, vel illud faciendum: peccatum verò omiſsionis præcepto affirmativo, quod jubet aliquid faciendum; quamobrem peccamus omittendo illud facere: ità communitèr.

5. Quod peccatum non ſolùm committitur externè, ſed etiam internè: & eſt, quando aliquis licet hanc, vel illam actionem peccaminoſam efficiat, quæ poſſit ſenſibiliter cognoſci per viſum, auditum, ſeu per alium ſenſum externum: ſicuti, v.g. furari,quod videri poteſt à quolibet, & murmurari, quod audiri poteſt, & ſimilia, poteſt internè delectari de illa actione peccaminoſa,& actualiter delectatur: quæ delectatio ſi ſit cum perfecto conſenſu modo ſupradicto, eſt peccatum veniale, vel mortale conformiter ad obiectum, & materiam, quam reſpicit, ut dicetur. Cajetanus, Azorius, Filiuccius, & Reginaldus, *loc ſup. cit.* Advertendum tamen hìc eſt, quod etiamſi non ſit conſenſus pro committendo externè illud peccatum, quod pariter eſt actus, & peccatum internum; ſola

ſola delectatio operationis malæ per ſe abſque voluntate, & conſenſu commiſsionis externæ eſt peccatum: quod Teologi vocant delectationem moroſam. Vide Auctores hoc aſſerentes apudClavem Regiam *lib.* 8. *cap.*7.

6. Quia diximus ſupra in ſecundo prænotando, quod peccatum mortale ſit per actionem legi contrariam; ſcire neceſsè eſt ad habendam notitiam adæquatam ipſius peccati, quid ſit lex. Hæc igitur in ſuo proprio, & germano ſenſu aliud non eſt, prout vult Doctor Angelicus 1. 2. *quæſt.*91. quam regula, ſeu menſura noſtrorum actuum humanorum, ſeu liberorum, per quam dirigimur ad benè operandum, ſeu removemur à malè operando: quæ dividitur ſecundùm eundem Doctorem in legem æternam: & poſitivam: hæc autem poſitiva dividitur etiam in legem poſitivam divinam, & in legem poſitivam humanam. Divina duplex eſt, una dicitur antiqua, ſeu Moſayca: altera verò dicitur nova, quæ eſt Evangelica, ſeu dicitur lex Chriſti, quia ab illo promulgata eſt in ſacro Evangelio. Lex poſitiva humana paritèr duplex eſt, ideſt Eccleſiaſtica, & Civilis. Lex humana eſt aliquod præceptum viri auctoritatis, ſeu ſuperioris impoſitum ſuis ſubditis, cum intentione obligandi pro bono cummuni: quæ dicitur Eccleſiaſtica, ſi præceptum ſit impoſitum à Superiore Eccleſiaſtico, Civilis verò ſi imponatur à Superiore ſæculari. Lex naturalis eſt judicium aliquod, ſeu dictamen noſtræ rationis, ſeu intellectus, quo, mediante lumine à Deo nobis immiſſo, tamquam ab Auctore naturæ cognoſcimus id, quod facere, vel non facere debemus, ut benè, & rectè operemur. Bonac. *de legib. diſput.*1. *quæſt.* 1. *punct.* 2. *num.*7. Denique lex æterna eſt illa ordinatio divinæ Sapientiæ, per quam nos creaturæ rationales utimur illo lumine naturali à Deo nobis immiſſo ad dirigendas, ut ſupra diximus, rectas operationes noſtras. Sotus 1. *de Iuſtitia quæſt.*4. Reginaldus, Azorius, Filiuccius, & alii paſsim. Hoc præſuppoſito.

7. Eſt advertendum, quod dum committitur opus contrarium legi Divinæ antiquæ, hoc eſt Moſaycæ, eſt peccatum grave exceptis illis, in quibus eſt contraria Legi Divinæ novæ Chriſti Domini, videlicet Sacris Evangeliis, quia ſequi illam in illis eſſet culpa mortalis, ſicuti eſſet peccatum grave non ſequi illam in aliis, in quibus non eſt contraria dictæ legi novæ, vt ſunt, v.g. Præcepta Decalogi. Ita communiter ex Conciliis, Sanctis Patribus, & Doctoribus. Si verò aliquod committatur contra legem naturalem, & æternam, non eſt dubium, ſemper eſſe culpam gravem: ſed ſi committitur contra poſitivam humanam ſemper etiam eſſe culpam gravem, dummodò non ſit con-

contrarium legi naturali, aut Divinæ: etiamſi ſit condita, & promulgata à Superiore peſsimo, & infideli: dummodo ſit legitimus. Sotus *de Iuſtitia quæſt. 6. cap.* 4. Alphonſus à Caſtro *lib.* 1. *cap.* 4. Navarr.*cap.*23.*num.*54. Reginald. *lib.*13. *num.* 174. & alii paſsim ſecuti D. Thomam. *opuſc.* 73. *cap.*5. Verùm quidem eſt, quod quamvis Eccleſiaſticus non teneatur obedire legi civili in iis, quæ contraria ſunt Eccleſiaſticæ, quæ eſt lex Canonica; tenetur tamen in aliis omnibus tamquam verum membrum Reipublicæ, ut probat, & vult doctiſsimè Belarminus *lib.* 1. *de Cleric. cap.*28.

8. Quod excuſare poteſt a peccato ignorantia: ſed quia Doctores aſsignant plura ignorantię genera, ſeu ſpecies, operę pretium erit, omnes illas diligenter explicare, ut ſciamus quænam ex ipſis a peccato ſaltèm gravi tranſgreſſorem excuſent. Ignorantia igitur dividi ſolet primo in ignorantiam juris, in ignorantiam facti, & in ignorantiam pœnæ. Prima illa eſt, per quam ignoratur una lex, præceptum, vel aliqua prohibitio. Ignorantia facti eſt illa, per quam neſcimus id, quod prohibetur, vel jubetur per legem; quamvis ſciamus legem, aut præceptum illud prohibens, vel jubens. Ignorantia pœnæ illa eſt, per quam neſcimus promulgatam, ſeu notificatam fuiſſe pœnam; quamvis ſciamus præceptum, & id, quod pręcipitur, aut prohibetur per ipſum. Omnes præfatæ ignorantiæ ſubdividuntur in ignorantiam probabilem, quæ etiam dicitur invincibilis, & inculpabilis; & in ignorantiam improbabilem, quæ dicitur etiam vincibilis, & culpabilis. Prima illa eſt, quæ nullo modo vinci, aut ſuperari facta qualibet ſufficienti diligentia poteſt: Secunda verò illa, quæ poteſt ſuperari, ſed poſita non fuit ſufficiens diligentia ad illam ſuperandam. Salas *de legibus diſput*,5. *ſect.*6. Corduba *lib.*2. *quæſt.*4. Filiuccius *tract.*21. *cap.*11. *quæſt.*5, *num.*321. *& ſeq.*

Prædicta ignorantia, quę dicitur vincibilis, aut improbabilis dividitur iterum in ignorantiam affectatam, aut deſideratam; & in ignorantiam craſſam, aut ſupinam. Prima habetur, quando aliquis tenetur ſcire id, quod neſcit, ſed illud ſcire non vult; imò cupit dictam ignorantiam, ut majorem habeat libertatem peccandi: Vnde dicta fuit deſiderata. Secunda eſt, quando aliquis non utitur tota illa diligentia, quam debet, ut ſciat id, quod neſcit, quamvis illud teneatur ſcire. Reginaldus *lib.* 11. Bonacc. *de peccatis diſp.*2, *quæſt.*8. *punct.* 2. *num.*5.

Ignorantia igitur invincibilis juris, & facti excuſat a peccato: quia ſi peccatum, ut diximus, non poteſt non eſſe voluntarium; voluntarium autem non eſt id, quod invincibiliter neſcitur abſq; noſtra negligentia; ſequitur, quod id, quod neſcitur per hanc ignoran-

rantiam, non eſt peccatum, S.Th. 1.2. *quæſt.*76.*art.*2.Corduba. *lib.*2. *qu.*4. Coninchius *de pœnit. diſput.* 8. *dub.*17.*num.* 135. Nec valet dicere cum aliquibus ignorantiam invincibilem, quæ provenit a culpa ( prout eſt veritas , quæ naſcitur in peccatore in pœnam graviſsimi exceſſus , ſeu pertinacis obſtinationis in peccato) non excuſare à peccato : quia quamvis verum ſit,quod ſimilis ignorantia non excuſet ; falſum tamen eſt , quod prędicta ignorantia dici debeat invincibilis, ita ut potius dicenda ſit vincibilis , & culpabilis: dum provenit a defectu, & negligentia , imò à gravi culpa ignorantis . Verum quidem eſt , ignorantiam invincibilem , quam dicunt pœnę , quamvis excuſet ab ipſa pena , ut ſunt cenſurę omnes, excepta irregularitate , quam vocant ex defectu : non excuſare à peccato , de quo ſupponitur haberi plena notitia , D.Th.1.2.*qu.*19. *art.*3. Sanchez,Navarr. & Bonaccina *de cenſuris diſput.* 1. *quæſt.* 2. *punct.*1. *num.*13.

Ignorantia denique vincibilis quęcunque illa ſit ex enumeratis , non excuſat à peccato ; imo affectata illud aggravat . Volunt nihilominùs Doctores inſignes illam excuſare à cenſuris Eccleſiaſticis , videlicet Pignatell. *tom.* 4. *conſultat.* 112. *num.* 5. Graff. Del Bene *de immunitat. Eccleſ.cap.*19. *dub.*59. *num.*22. 36.& *ſequen.*Sperellus *deciſ.*175. *num.*79. Et ratio eſt , quia ſimiles pœnæ pro illis impoſitæ ſunt , qui contemnunt legem , aut præceptum , quod locum non habet in illis , qui de ipſis cenſuris habēt quamlibet ignorantiam , quamvis affectatam .

Advertendum tamen hìc pro complemento eorum , quæ diximus de ignorantia , quod illud idem dictum fuit de illa , applicari debet oblivioni : quia dum aliquis obliviſcitur alicujus , v. g. quod hodiè ſit vigilia cum jejunio non jejunando , aut carnes manducando, non peccat, ut infra ſuo loco dicemus . Ita pariter diſcurrendum de inadvertentia . Suarez *de cenſuris diſputat.*4.*ſect.*4. *num.*5. Azorius *par.*1. *lib.* 1. *cap.*16. *qu.*3. Sanchez *in opere morali lib.*1.*c.*16. *num.* 8. Bonaccin. & *alii* .

9. Quod Sacramentum Pœnitentiæ deſcriptum communiter à Theologis , Sacramentum novæ Legis Chriſti , quadam cæremonia, aut Ritu externo, & ſenſibili inſtitutum ab eodemChriſto;continet aliquos actus ex parte pęnitentis , & alios ex parte Miniſtri, ſeu Confeſſarii reconciliantis dictum pœnitentem cum Deo , abſolvendo eum à peccatis commiſſis poſt Baptiſmum . Habet ſuam materiam , & ſuam formam : illam ex parte pœnitentis , & iſtam ex parte Confeſſarii, ſeu Miniſtri. Forma eſt abſolutio conſiſtens in verbis prolatis à dicto Confeſſario poſt Confeſſionem. Ego te abſolvo à peccatis tuis. Materia duplex eſt : una dicitur remota, quæ conſiſtit in peccatis actualibus mor-

Digitized by Google

mortalibus ( quæ eſt materia neceſſaria) & in venialibus (quæ eſt materia ſufficiens) commiſsis poſt Baptiſmum. Peccatum autem Originale eſt tantùm materia præfati Sacramenti Baptiſmi . Proxima conſtat ex tribus partibus , quarũ duæ ſunt eſſentiales , & tertia integralis appellatur . Primæ duæ ſunt Contritio (in qua etiam continetur Attritio ) & peccatorum confeſſio . Tertia verò eſt ſatisfactio ; ideſt pœnitentia impoſita à Confeſſario , & dicitur pars integralis ad differentiam primarum duarum : quia ſine iſta Sacramentum eſt validum, ſed non integrũ; & abſque illis non eſt neque integrum , neque validum . Dicuntur materia proxima , & non materia remota, quia materia proxima remanere debet in Sacramento, cum ſit pars , à qua vnà cùm forma componatur Sacramentum pœnitentiæ , & in hoc differt à remota, quæ , non eſt neceſsè , quod remaneat, prout ſunt peccata, quæ non ſolùm nn debent remanere, ſed deſtrui per Sacramentum. Quod totum colligitur ex Concilio Tridentino , & Doctoribus paſſim .

10. Quod Contritio , quæ definitur deteſtatio, & dolor peccati commiſſi ex puro Dei amore, non eſt aliud , quàm verus dolor proveniens à ſolo motivo Divini amoris, & charitatis , dolens contritus de culpa , tantùm quia offenſa Dei eſt , qui non debet offendi, ſed purè à nobis amari cum ſpe veniæ , & cum firmo, & ſtabili propoſito non ampliùs illum offendendi . Hęc contritio quamvis ſit ſufficiens , & optima pro pœnitentiæ Sacramento; tamquam pars eſſentialis ipſius ad recipiendum majorem fructum ab illo; attamen neceſſaria non eſt, quia ſufficit attritio ſupernaturalis , ut vult Sacrum Concilium Tridentinum *lib.* 14. *cap.* 4. quæ dicitur contritio imperfecta , quia quamvis ſit dolor, & peccatorum commiſſorum deteſtatio cum ſpe veniæ , & propoſito non amplius illa committendi ; attamen non dicitur dolor , & deteſtatio purè ex ſupradicto motivo , ſed etiam ex turpitudine, & deformitate, quam continet peccatum, ſeu ex timore pœnæ . Vndè commune currit inter Theologos axioma illud , virtute Sacramenti attritus fit contritus , hoc eſt tamquam ſi haberet perfectam contritionem. Vide quæ dixi ſuper hoc in meo memoriali Theologico de Sacramento pœnitentiæ .

Advertendum tamen quod cõtritio quamvis per ſe ſola ſit ſufficiens ad delendum peccatum , intelligitur tamen in ordine ad confeſsionem, hoc eſt animo confitendi . Vndè ſi aliquis eliceret actum contritionis ex carentia opportunitatis temporis confitendi, deinde habita prædicta opportunitate non confiteretur , eſſet reus culpæ , ſicuti erat priùs, imò magis , dum aliquo modo non videretur credere Sacramentali cõfeſsioni , quæ eſt alia pars Sacramenti

Digitized by Google

menti pœnitentiæ, neque abſolutioni, quæ eſt forma, & conſequenter abſolutè non crederet Sacramento pœnitentiæ.

11. Quod Confeſsio Sacramẽtalis definitur à D. Thoma *in* 4. *diſtinct.* 17. *quæſt.* 3. *artic.*2. *Legitima, & Sacramentalis accuſatio de propriis peccatis facta Sacerdoti, ad eorum veniam per abſolutionem virtute clavium obtinendam.* Quæ definitio ab omnibus Theologis communiter tenetur. Ex qua clarè infertur id quod requiritur, ut vera ſit Confeſsio Sacramentalis: ideſt, quod ſit facta, non per modum narrationis; ſed per modum accuſationis, prout facit reus ante ſuum judicem: prout de facto eſt Confeſſarius. II. Quod facta ſit in Sacramento pœnitentiæ Sacerdoti habenti auctoritatem, & juriſdictionem abſolvendi, quàm auctoritatem non habet quicumq; Sacerdos (excepto in articulo mortis) ſed tantùm ille, qui approbatus eſt á ſuo Ordinario. Ita ut non ſufficiat, factam eſſe ſimplici Sacerdoti, qui auctoritatẽ nõ habeat; cùm etiam Iudex fori externi habere poſſit auctoritatem judicandi, non tamèn auctoritatem abſolvendi à peccatis, quæ dicitur apùd Doctores, Poteſtas clavium, ideſt auctoritas aperiendi, & claudendi Paradiſum, negando, aut concedendo abſolutionem: ſed Sacerdoti approbato ad hoc officium, ut ſupra. Ita Concilium Tridentinum *loc. cit.* Filiuccius *de hoc materia tract.* 7. *cap.*1. Tolet. *lib.*3. *cap.*13. *& alii.* III. Quod ſit accuſatio peccatorũ propriorum, & non aliorum; quòd facilè accidit, cum multi neſciant confiteri propria, abſque eo quod dicant peccata aliorum, quia volunt ſe excuſare, qui eſt defectus graviſſimus in confeſſione, & facilè hoc modo, loco liberationis à ſuis culpis: remanent ligati in Sacramento ipſo, detrahendo ſuo proximo famam. IV. Quod ſit legitima, id eſt conformis Divinæ legi. Et, ut talis ſit, requiruntur multæ conditiones, inter quas quinque ſunt neceſſariæ.

Prima, quod ſit diligens, ideſt, quod ante ipſammet confeſſionem accuratè, & diligenter examinetur conſcientia circa omnia peccata, ſaltem circa gravia. Secunda, quod ſit fidelis, & vera; hoc eſt, quod pœnitens cum omni candore aperiat ſuam conſcientiam Confeſſario, ita ut dicat res certas pro certis, & dubias pro dubiis, juxta ſuam opinionem, prout ſibi videtur, vel non videtur commiſiſſe, quia aliter mentiretur, & mentiri (voluntariè tamen) in rebus gravibus in confeſſione culpa gravis eſt. Cajetanus 2. 2. *in materia de mendac.* & Tolet. *lib.* 3. *cap.* 9. Tertia, quod ſit ſecreta, ideſt tantùm ad aures Confeſſarii facta. Quarta, quod ſit obediens, ideſt, quod pœnitens prõptus ſit in omnibus, & per omnia Confeſſario obedire in iis,quę illi præcipiet concernentia ad Sacramentum.Filiuc. *loc.cit.*Quinta, & ul-

& ultima eſt, quod ſit integra, hoc eſt quod nullum peccatum grave ex malitia, verecundia, aut negligentia notabili omittatur: & in caſu quo aliquis pluries ceciderit in aliquod peccatum grave, non ſufficit dicere, pluries cecidi in hanc culpam, ſed neceſsè eſt, numerum exprimere eo modo, quo recordatur; quod ſi non recordetur præciſi numeri, ſaltem dicat numerum veriſimilem, qui ſibi videtur. Nec poteſt ullo modo interrumpi confeſſio, abſolutionem recipiendo alicujus portionis peccatorum, relinquendo alia peccata pro alia confeſsione abſolvenda, niſi in caſu quo fiat confeſsio de peccatis aliàs validè abſolutis. Advertendo tamèa, quod exprimantur ſaltem omnes illæ circumſtantiæ, quæ mutant ſpeciem peccati, ut infra ſuo loco dicetur. Navarr. *cap.* 11. *num.* 37. & alii communiter.

12. Satisfactio conſiſtit in executione pœnitentiæ impoſitæ à Confeſſario poſt factam confeſſionem ante abſolutionem: prout habetur ex Tridentino *ſeſſ.* 14. *c.* 1. 3. & 8. Hoc autem intelligitur de ſatisfactione propria, & formali, ideſt de ſatisfactione tamquam parte integrali Sacramenti pœnitentiæ: quia loquendo de ſatisfactione ſecundum totam ſuam latitudinem, ſeu ſecundum ſuam univerſalem, & genericam ſignificationem, ſatisfactio pro peccato, cùm tantùm ſignificet quoad nomen, actionem, qua ille, qui alterum offendit, tantum efficit, quantum pro recompenſatione injuriæ illatæ ſufficit, ſeu tantum quantum vult, & requirit offenſus; conſiſtit in Sacramento integro pœnitentiæ, medio quo recipiendo pœnitens gratiam ſanctificantem per merita infinita Chriſti Domini Redemptoris, ſatisfacit pro offenſa, ſeu injuria lata Deo, & de reo, qui prius erat per peccatum, & ex ipſius inimico fit amicus, & juſtus: qui tamen quamvis non ſit amplius reus culpæ, remanet pœnæ reus, non æternæ, ſed temporalis. Hic autem reatus deletur, vel pœnitentia hujus vitæ (quæ eſt ſatisfactio, de qua hìc loquimur) vel Purgatorii, aut ſaltem indulgentiis à Summis Pontificibus conceſſis, & acquiſitis, executis conditionibus ab iiſdem impoſitis pro conſequutione dictarum Indulgentiarum. Ita Doctores communiter.

His præſuppoſitis, ut ordinatè procedamus in materiis tractandis dubia proponemus, quæ poſſunt occurrere in peccatis committendis, ſeu commiſſis, quæ dicuntur capitalia, ſeu radicalia; quia ab ipſis oriuntur omnia alia, ſive mortalia, ſive venialia ſint. Nonnulli ſunt, qui vocant illa mortalia, ſed immeritò: cum aliqua ſint ex ipſis, quæ ex genere ſuo non ſunt talia, ut videbimus: quia autem hæc numerantur ſeptem: hoc eſt Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Ira, Gula,

& Accedia. Incipiendo à primo ſit..

## DUBIUM PRIMUM.

*In quo conſiſtat Superbia, & quale peccatum ſit.*

Superbia communiter definitur; Appetitus propriæ excellentiæ. Sic autem definitur, quia Superbia conſiſtit in aliqua exiſtimatione, quam aliquis habet de ſe ipſo, ita ut quamlibet ſuam perfectionem, quamvis minimam exiſtimet ſuperiorem perfectionibus aliorum. Unde Superbia ex proprio genere, & natura eſt peccatum mortale: quia magis exiſtimare propriam quàm illam omnium aliorũ hominum, eſt peccatum Phariſæi reprobati à proprio ore Divino Chriſti Domini Redemptoris, ut habetur *Lucæ* 18. 6. & eſt contraria virtuti Iuſtitiæ auferendo proprium jus, & dominium, quod quilibet de propriis ſuis virtutibus, & perfectionibus habet juxta proprium ſuum eſſe Creaturæ, hoc eſt dependens à Deo omninm bonorum datore. Imò videtur opponi directè virtuti humilitatis, per quam aliquis quamvis excellentibus qualitatibus, & prærogativis cujuscumque generis exornatus, judicatur imperfectiſſimus omnium. Toletus *de Septem peccat. mortal. cap.*4. *& alii.*

Hæc dividitur in tres, ſeù, ut meliùs dicam, ab hac oriuntur tres aliæ, quæ ideò vocantur filiæ Superbiæ. D. Gregorius 23. *Moralium cap.* 7. Prima dicitur Vanagloria, & eſt quando aliquis habeat, vel non habeat virtutem, ſeu habeat virtutem aut perfectionẽ veram, vel apparentem: appetit illam videri, & ab omnibus laudari. Hæc quamvis de ſuo genere ſit peccatum veniale, attamen ex circumſtantiis fieri poteſt grave, ſeu mortale, vel ratione operationis malæ, quam appetit apparere, aut ex fine pravo, & graviter peccaminoſo, quem habet in mente Vanagloriosſus appetendo, v. g. per talem manifeſtationem trahere aliquem ad ſuas voluptates ſenſuales. Navarrus, & Clavis Regia cum eodem *cap.*7.

Secunda eſt Præſumptio, quæ conſiſtit in appetitu exponendi ſe ad aliquid operandum, quod ſuperet proprias vires. Sicuti, v. g. ſi vellet Medicus, Advocatus, aut Confeſſarius fieri, qui nullam habilitatem, & capaciratem ad hæc munera haberet. Toletus *ibidem cap.*22. Eſt peccatum de ſui natura veniale, niſi conjungatur cum aliqua circũſtantia graviter proximo ſuo nociva: Sicuti v.g. ſi vellet aliquis inexpertus, & inſcius in medicina, medicare: in hoc enim ſimili caſu præſumeret iſte talis rem aliquam pernicioſiſſimã dicto proximo ſuo; poſſet enim hoc modo non ſolùm ſanitati ipſius nocere, verùm etiam illum vita privare: vel cum aliqua alia nota-

Digitized by Google

notabiliter ſibi præjudiciali, tam in corpore, aliquid præſumens, quod in re poſitum, ab illo grave detrimentum propriæ ſalutis evenire poteſt, imò eadem mors: ſicuti v. g. ſi præſumeret equitare cum equo indomito, & currum ducere à ſimilibus equis tractatũ, talibus exercitiis imperitus,& arte; quàm in anima cupiens exponi ad aliquod periculum evidenter ad peccatum mortale inducẽs: quod eveniret, ſi v.g. præſumeret, ſolus habitare cum fœmina, cum qua fundatam probabilitatem habet, ſe peccaturum in ſimili caſu, ratione dictę cohabitationis;ſemper tamen, & in omni alio ex ſupradictis, & ſimilibus caſibus in propriis viribus præſumens,ut dixi: ita communiter.

Tertia, & vltima eſt Ambitio, quæ eſt Appetitus inordinatus de aliqua dignitate, & honore indebito. Ita ut ſi aliquis appetat efficaciter aliquam dignitatem, & officium, de quo ſcit, ſe eſſe indignum, deficiente ei merito, vel habilitate. Hanc, non obſtante quod aliqui affirment, eſſe ex ſuo genere venialem culpam,ſunt tamen aliqui graves Auctores aſſerentes ex ſua natura eſſe mortalem: cum velit aliquis illud onus, vel officium, cujus capax non eſt, & conſequenter præcedere indebitè vult in merito aliis, quos ſcit habere & habilitatem,& meritum, quod verè eſt eſſentia Superbiæ, quam diximus eſſe ex ſua natura culpam gravem. Ex quo faciliter infertur, grave peccatum committere voventem ſolemniter, ſuperioratus, & dignitates ſe non prætenſurum ( uti eſt in mea Religione ) hoc non obſtante procurat etiam externè, quamvis ambiat internè, onera, ad quæ omni merito illorum privus, ſolam propenſionem, & appetitum habet, Navarr. Tolet. Fernand. Buſſembau *lib. 5. cap. 3. dub.* 1. Maſtrius *diſput.15. quæſt.8. artic.1. nu.538.*

## DUBIUM II.

*In quo conſiſtat Avaritia, & quale peccatum ſit.*

Avaritia eſt inordinatus divitiarum appetitus,ſeu immoderatus amor habendi illas. Hic appetitus poteſt eſſe culpæ mortalis, aut venialis juxta virtem illam, cui opponitur: quia ſi opponatur virtuti Iuſtitiæ,ex natura ſua eſt mortalis, niſi excuſetur à parvitate materiæ: ſi verò opponatur liberalitati, ex genere ſuo eſt venialis, niſi ratione circumſtantiarum,aut finis,fiat mortalis. S. Thomas 2. 2. *quæſt.* 118. *artic.* 1. Navarr. *cap.* 23. *num.* 69. Azor. *lib.* 4. *cap.* 15. Itaque ſi appetitus, & amor divitiarum ſupradictus talis ſit, ut aliquis ſit paratus per illum, apud ſe retinere rem alienam, aut illam à proximo ſuo rapere cum detrimento notabili veri, & legitimi Domini, & quemlibet alium exceſſum facere ad acquirendam,quoquo mo-



Digitized by Google

do ſit, facultatem, aut pecuniam; eſt peccatum grave, nec abſolvi poteſt, niſi hunc affectum, ſeu propoſitum, vel pravam voluntatem deponat; dùmmodò tamen hæc ſit deliberata. Ita communiter. Si verò præfatus appetitus divitiarum impedit aliquam actionem, cujus omiſſio culpa gravis non ſit; ſicuti v. g. ſatisfacere cum omni promptitudine debitũ creditori; non eſt culpa mortalis. Cæterùm ſi impedit actum bonum, qui ita fieri debet, ut omiſsio illius culpa gravis ſit, ut v. g. ſubvenire alicui in extrema neceſsitate poſito, ſibi evidenter noto; eſt peccatum mortale, quia tenetur dives ſubvenire proximo ſuo egeno, & indigenti.

Ab avaritia alia vitia naſcuntur, quæ hac ratione illius filii vocantur. Ab amore quippè inordinato, ſeu immoderato rerum temporalium, & divitiarum naſcitur, quod homo non movetur ad ſubveniendum extremis miſeriis, quas videt in proximo ſuo. Et hæc dicitur Durities contraria Miſericordiæ. Secundò naſcitur aviditas magna ad quærendas, & acquirendas divitias: & hæc dicitur inquietitudo. Tertiò naſcitur acquiſitio illarũ per vim proximo nocivam: & dicitur Violentia. Quartò illas cum dolo acquirere; quod ſi ſiat verbis, dicitur Fallacia; ſi opere, dicitur Fraus: ſi verò ſit cum dolo contra fidem illi præſtitam, cui ſit dictus locus, dicitur Proditio. Navar. *cap.* 23. *num.* 70., Maſtrius *diſput.* 15. *de peccatis quæſt.* 8. *artic.* 1. *num.* 140. Hęc omnia vitia poſſunt eſſe mortalia, aut venialia juxta circumſtantias, per quas magis, & minùs proximum offendunt, ſi proximũ reſpiciant; ſi verò non, ſecundum propriam materiam, prout ſuprà diximus. Huic vitio, aut peccato opponitur illud, quod dicitur Prodigalitas, quæ conſiſtit in donando divitias, & facultates proprias ſine prudentia, & advertentia: quæ ſi donentur, ita ut prodigus poſsit fieri miſerrimus reſpectivè ad proprium ſtatum, & cum illo etiam alii ab ipſo dependentes, ſeu illi attinentes, ut v. g. Uxor, Filii, Nepotes &c. dicta prodigalitas eſt culpa mortalis, ſi verò abſque hoc damno notabili donentur, erit culpa levis, & venialis. Tolet. *cap.* 25. Si verò diſtribuantur diſcretè, & prudentèr prout neceſsitas, aut convenientia poſtulabit, non erit vitium prodigalitatis, ſed virtus Liberalitatis. Ita communiter.

## DUBIUM III.

*In quo conſiſtat Luxuria, & quale peccatum ſit.*

Luxuria definitur communiter à Doctoribus. Appetitus inordinatus Venereoum, hoc eſt propenſio, & inclinatio, quam habet luxurioſus ad res ſenſuales, & venereas abſque debito ordine, & rationis regula, ex cujus dictami-

ne

Digitized by Google

ne debet homo illis uti ad ſolam generationem, propter quam tantùm poſitæ ſunt àDeo auctore naturæ. Itaque abutens homo ipſis extra actum matrimonialem, vel iiſdem non utens proutDeus præcipit, in ipſomet actu matrimoniali ſemper mortaliter peccat, dummodò tamen concurrant neceſſariò requiſita ad culpam gravem juxta prænotanda generalia. Sed quia de hoc vitio diffusè tractabimus in ſexto præceptoDecalogi, brevitatis gratia hìc omittuntur ſpecies ipſius, quas ibi examinabimus.

Peccata aut filii, qui originem habent à luxuria, ſolent inter alios numerari octo, videlicet Offuſcatio mentis, ſeu Obtenebratio intellectus,per quam luxurioſus ita remanet immerſus in voluptatibus ſenſualibus, ut nil cõſideret de rebus ſpiritualibus animæ: Præcipitatio, per quam ſenſualis abſque ullo conſilio rationis, aut diſcurſu operatur: Inconſideratio, per quam operatur abſque ulla conſideratione circumſtantiarum proprii ſtatus, & conditionis, aut complicis in peccato; neque temporis, loci, & ſimilium: Inconſtantia, per quam ſupradictus non ſtabilitur, & firmatur in bonis propoſitis, ſed ad quamlibet etiam minimam occaſionem labitur in peccatum:Amor proprius, per quem ita obcæcatur à paſſione ſenſuali, ut obliviſcatur Dei, amet ſolùm ſe ipſum, hoc eſt ſuum corpus, aut ſenſum prætermiſſo quocumque alio fine præter illum in ſuis operationibus: Odium Dei, per quod abhorret, & faſtidit res ſpirituales, & divinas; imò odio habet ipſummet Deum tamquam punitorem ſuorum delictorum. Appetitus, ſeu Affectus immoderatus rerum mũdanarum,per quem luxurioſus ita ſit deditus ſuis delectationibus inhoneſtis, ut ſciens ſe ſemper, & æternè victurum in ipſis, promptus eſt Paradiſum, & fœlicitates immarceſcibiles, & æternas amittere: denique horror mortis, per quem ita præfatus odit mortem, ut luxurioſè vivat; ut curet quoquo modo illicito, & peccaminoſo diù vivere. S.Gregorius *lib.*31. *moralium cap.*81. S.Tho.2.2.*quæſt.* 153. *artic.* 5. Azor. *lib.* 4. *cap.* 16. Maſtrius *ibi ſupra num.*41.

Hæc vitia,aut filii luxuriæ non ſunt culpæ graves de ſui natura,ſi non ſint cum plena,& perfecta advertentia, deliberatione, aut conſenſu,qui quamvis non ſit expreſſus, & explicitus ſæpè ſepiùs eſſe poteſt implicitus, aut tacitus: quando ſcilicèt aliquis ita ſit immerſus in hoc vitio, ut nolit, nec curet ullo modo illo liberari, quod ut plurimùm evenit illi, qui in peccato eſt habituatus. Tolet. *deSeptem peccatis mortalibus c.*55.

DU-

Digitized by Google

## DUBIUM IV.

*In quo conſiſtat Invidia, & quale peccatum ſit.*

INvidia eſt Triſtitia de alieno bono, prout illud minuit excellentiam invidentis. Et ſic definitur, ſeu deſcribitur, quia ſolùm invidemus alicui, quando videmus in illo aliquid boni, quod excedens noſtrum, obſcurat, & deprimit illud. Hinc verò eſt, quod Doctores volunt, quod invidia contraria ſit virtuti Charitatis, quæ gaudet de bono alteriùs, tamquàm de proprio. Navarr. *cap.*23. *num.*115. & 117. Azor. *lib.*4. *c.*17. ſequuti D. Thomam 2.2. *quæ.* 36. *artic.* 1. & 2. Undè ex natura ſua Invidia eſt peccatum mortale, quando non excuſetur à materia, hoc eſt à bono, quod invidetur, cum non ſit notabile, ſed parvi momenti.

Cum autem triſtari poſſimus de bono alterius dupliciter, aut quia ſimpliciter eſt bonum illius; aut quia nos non habemus, ſeu poſſidemus illud, ut poſſidet alter, ſive ſit bonum temporale, ſive ſpirituale: ſi triſtemur de primo, eſt peccatum grave, aut leve, conformiter ad materiam, aut bonũ, quod invidetur, ut diximus: ſi verò triſtemur de ſecundo, quando ſit cum debito ordine, & reſpectu ad Deum, appetendo illud etiam nos in obſequium majus ipſius Dei, & noſtri proximi; non ſolùm aliqua culpa non eſt, ſed actus meritorius virtutis. Si verò è contra ſit, quia ſuum bonum denigrat per ordinem ad vanã gloriam, appetendo invidioſus magis bonus, Sanctus, doctus, virtute præditus &c. hominibus apparere; eſt culpa gravis, aut levis, modo ſupradicto. Ita communiter Summiſtæ.

Invidiæ aſſignantur quinque filii. Primus dicitur Odium, hoc eſt Appetitus, contra proximũ, in quo invidioſus videre non poteſt bonũ aliquod, adeoq; cupit ut privetur illo cum detrimento ejuſdẽ proximi. Secundus eſt Murmuratio, hoc eſt malum dicere de ſuo proximo ad diſcordias ſeminãdas: Tertius eſt Detractio, hoc eſt malum dicere de illo ad detrahendam famam illius; de his duobus diffusè tractabimus ſuo loco, hoc eſt in octavo præcepto Decalogi. Quartus eſt Exultatio in adverſis ejuſdem proximi, per quam invidioſus gaudet videns depreſsũ, & conculcatum eumdem proximum. Quintus, & ultimus eſt Afflictio, & Triſtitia in rebus proſperis, & fælicitatibus; quia ſicuti invidioſus lætatur de malo illius, cui invidet; ita è contra triſtatur de bono ejuſdem. Hæc omnia ſunt peccata gravia, aut levia juxta materiam, hoc eſt juxta malum, aut bonum ut ſuprà, quod appetitur ab ipſo invidioſo. D. Gregor. 35. *Moral. cap.*31. & *alii, quos citat*. Maſtrius *loc ſupra cit.*

DU-

Digitized by Google

## DUDIUM V.

*In quo conſiſtat Ira, & quale peccatum ſit.*

IRa communiter definitur Inordinatus vindictæ appetitus. D. Thomas 2.2. *quæſt.*158. quem ſequuntur omnes, ut diximus. In hac definitione notandũ eſt, quod ad hoc, ut actus iræ ſit, non ſufficit, eſſe appetitum, aut inclinationem ad vindictam: quia licitum eſt, imò neceſſarium habere ſimilem appetitum pro puniendo malo, ſeu peccato tamquam injuria facta Deo, aut proximo ſuo: hic enim eſt appetitus ordinatus, & bonus ſimpliciter, & abſolutè loquendo, quem debet habere ſuperior erga ſuum ſubditum puniendum: ſed neceſsè eſt, ut ſit inordinatus abſque debita regula habitus. Undè ſi vindicta eſt injuſta, aut quia cauſa, & motivũ illius non eſt verum, ſed apparens, & falſum, aut quia illa non eſt proportionata delicto, & injuriæ, aut quia non procedit ab intentione recta in ordine ad debitum finem ex juſtitia, ſed ab intentione à paſſione obcæcata, quæ non reſpicit emendationem peccantis, aut alium finem rectum, & juſtum, tunc hujuſmodi appetitus vindictæ eſt peccatum grave, aut leve juxta damnum, quod proximo ſuo appetitur, quamvis ex natura ſua ſit mortale, ut dicunt Summiſtæ, S. Thomas *ut ſupra art.* 3. Navarr. Azor. *& alii*.

Hujus vitii peculiares filii ſunt ſex, quorum aliqui reſident in corde, & ſunt Indignatio, per quã iratus judicat, quod ille, contra quem iraſcitur abſque cauſa, aut demerito aliquo, ſibi indignè aliquid feciſſet: Secundus verò reſidens etiam in corde dicitur Tumor mentis, aut intellectus, per quem iracũdus quaſi implet eumdem intellectum ſuum cogitationibus diverſorum modorum vindicandi ſe. Alii reſident in ore, & ſunt tres. Primus dicitur Clamor, per quem iracundus multa dicit extra propoſitum, loquendo contra debitum dictamen rationis: Secundus eſt Contumelia, per quam ex impetu iræ prorumpitur in verba injurioſa contra proximum: Tertia verò eſt Blaſphemia, per quam proferuntur ſimilia verba contra Deum, aut Sanctos, de quibus diſtinctè tractabimus ſuo loco. Alii tandem ſunt in operibus, quorum tantùm unus à Doctoribus inſpicitur, qui dicitur Rixæ, per quem intelliguntur omnia damna facta proximis ipſimet iracundo moleſtis in ſatisfactione propriæ paſſionis. Omnia ſupradicta paritèr ſunt culpę graves, aut leves juxta cujuslibet materiam, hoc eſt juxta damnum illatum, aut volitum. D. Gregorius 35. *Moral. ut ſupra*, Azor. *lib.* 4. *cap.* 13. Maſtrius *ibi ſupra art.* 2. *num.* 144. & 145.

DU-

Digitized by Google

## DUBIUM VI.

*In quo conſiſtat vitium Gulæ, & quale peccatum ſit.*

GUla definitur Inordinatus appetitus cibi, & potus. Eſt contrarium vitium virtuti temperantiæ: & quia non eſt contrariũ de ſe ipſo conſideratum virtuti Charitatis, à qua contrarietate habetur natura culpæ gravis; ex ſuo genere eſt culpa venialis; dũmodo tamen hujuſmodi appetitus talis non ſit, ut aliquis ratione ipſius aſpernetur omninò res divinas, imò crapulam ipſimet Deo præponat, quia in ſimili caſu, moraliter impoſſibili in uno Fideli, eſſet culpa gravis de ſui natura. Tolet. & alii cummuniter cum illo.

Ferè ſemper igitur dicitur aliquis guloſus, quia temperatus nõ eſt, non utens cibo ad nutrimentum & ſubſtentationem vitæ; ſed ad alliciendum proprium guſtum, & palatum diverſitate ciborum, & potuum: aut manducando lautè, aut ante debitum tempus, aut nimia aviditate, aut plus quàm exigat proprium temperamentũ. Quia tamen in hoc præfatus guloſus ferè ſemper venialiter peccat, non habens intentionem contraveniendi legi Divinæ; hac de cauſa dicitur, quod ex natura ſua eſt peccatum veniale, fit tamen peccatum mortale per accidens, manducando e.g. cibos prohibitos illa die, qua aliquis manducat, aut manducando, & bibendo ita ut ex illa commeſtione, & potu proveniat notabile detrimentum ſanitati cum plena tamen advertentia, & deliberatione: aut quando cognoſcitur, quod à quantitate, aut qualitate alicujus cibi, aut potus provenire poteſt damnum notabile animæ, cum ſit cauſa alicujus gravis culpæ. Item quando aliquis cognoſcit, quod ex ſuo cibo, & potu nimis ſuperfluo, aut ex manducatione alicujus qualitatis cibi poſſit rationabiliter ſcandalum pati aliquem ex circumſtantibus, aut aliis. Denique quando aliquis abſque extrema neceſſitate, imo ſolum ad ſuæ gulæ complacendum, & ſatisfaciendum manducaret id, quod non fuit à natura inſtitutum tamquam cibus hominis, manducando ſcilicet v. g. carnem, & bibendo ſanguinem humanum. Doctores communiter.

Peculiari tamen attentione hic ſciendum, quod ebrietas cauſata à potu vini, aut alterius liquoris ſuperfluo poteſt fieri tripliciter. Primò, quia bibens non advertit vinum eſſe generoſum, & quantitatem ipſius poſſe illum inebriare bibendo tantùm ex neceſſitate; Secundò, quia cognoſcitur generoſitas vini, ſed non creditur ſufficiens ad inebriandum: Tertiò, quia cognita qualitate ſupradicta hoc nõ obſtante bibit aliquis nulla habita conſideratione. Primo modo non eſt aliqua culpa, ſecundo

cundo

cùndo eſt culpa venialis, tertiò verò mortalis culpa eſt.

Ebrietas igitur conſiſtit in hoc, quod abſque legitima cauſa, aut neceſſitatis motivo ob ſolam delectationem guſtus, perfectè cognoſcendo, & deliberatè volendo, privatur aliquis rationis uſu cum periculo evidenti lapſus in culpã gravem, ut videbimus in ſequenti paragrapho. Dixi abſque legitima cauſa, quia bibendo modo ſupradicto per ordinem Medici ratione infirmitatis: quamvis etiam cum advertẽtia ſequatur ebrietas: dummodo non concurrat complacentia, & delectatio excedens guſtus voluntariè, non eſt culpa aliqua, & ſi fiat cum dicta complacentia deliberata, eſt tantùm culpa venialis. Silveſter verbo Ebrietas, Cajet. 2.2.*quæſt.*150. *artic.*2. Tolet. *de Ebrietate cap.*61. *& alii.*

Filii hujus vitii communiter aſſignantur ab Auctoribus quinque Inepta lætitia, qua ita aliquis lętatur per crapulam, ut excitetur ad canendum cantilenas obſcænas, & actus habendos inhoneſtos, quod eſt culpa gravis, quando fit ſcandalum, ſollicitando alios ad grave peccatum, cum per ſe loquendo cum aliis quatuor ſequentibus culpa venialis ſit: Stupiditas, & Offuſcatio mentis, per quam redditur ille talis inhabilis ad multa facienda, quæ concernunt ad officium, quod habet, ita ut illa omittere eſſet notabilis detrimenti; aut ad recitandas orationes, quibus aliquo modo tenetur. Supradicta ſtupiditas antè crapulam cognita, & prævìſa eſt culpa gravis, cum ex alio capite culpa levis ſit. Multiloquium, ſeu Affluentia verborum otioſorum, & inutilium. Scurrilitas, aut Iocularitas, per quam aliquis non ſolùm dicit, ſed etiam efficit actus joculares, qui ferè ſemper unitam habent inhoneſtatem; quæ cum hac de cauſa graue ſcandalum pariant, eſt culpa mortalis. Denique immunditia corporis, quæ fit vomitu cibi, & effuſione ſeminis, quæ effuſio prævìſa, & præcognita antecedenter ad ſumptionem cibi, & potus, eſt culpa gravis, cum hac de cauſa ſit voluntaria pollutio, abſque verò hac præcognitione, & advertentia, quod per dictam crapulam poterat cum certa, & fundata probabilitate ſequi, non eſt culpa mortalis, ſed venialis. Layman. Leſſius, Baldel. Eſcobar. *& alii, quos citat* Maſtrius, *ut ſupra num.* 147.

## DUBIUM VII.

*Quid ſit Accedia, & quale peccatum ſit.*

ACcedia definitur cõmuniter à Doctoribus cum D. Thoma 2.2. *quæ.*35.*artic.*2. Faſtidium ſpiritualium rerum. Sic definitur, quia alio nomine vocatur Pigritia, quæ conſiſtit in aliqua laſſitudine, triſtitia, aut diſplicentia, quæ ſentitur in operibus ſpiritualibus, & ſanctis, v. g. in Confeſ-

feſſionibus, Communionibus, Jejuniis, Prædicationibus, & ſimilibus. Quamobrem hoc vitium opponitur directè virtutiCharitatis, qua gaudet in operibus ſpiritualibus; undè ex ſuo genere eſt culpa mortalis. Nihilominùs non ita facilè habetur culpa gravis in acedia, dum, ut ſit talis, non ſufficit ſimpliciter dicta laſſitudo, aut diſplicentia in bono operando, ex eo quod corpus patiatur, ſicuti accidit in jejunio, vel ex eo quod dictum opus bonum impediat aliud temporale cum illo incompatibile, ſicuti v. g. Miſſam, aut prædicationem audire, cum quo non compatitur Venatio, quod culpa venialis eſt: ſed requiritur neceſſariò repugnantia,& contrarietas totalis erga Sancta exercitia tamquam res Deum reſpicientes, & ad illum, & ad proprium ſpiritualem progreſſum directas. Quod non ſolùm in Chriſtifidelibus: verùm etiam in qualibet hominum conditione dari facilitèr poteſt, dummodò non ſint Atheiſtæ, qui nullum Deum noverunt, cum quælibet natio præter iſtam noſcens ſuum Deum, illum adorat, & amat, quod non eſt compatibile cum dicta averſione. Cæterum non propter hoc non verificatur, quod hoc non obſtante ſimilis pigritia, & averſio à rebus ſpiritualibus primo modo explicata, quamvis in ſe ſit culpa levis, cauſat ut plurimum defectus graves, & notabiles contra Sancta præcepta, & divinam legem, à quibus ſumit nomen vitii capitalis. Ita communiter Sancti Patres, & Doctores.

Habet etiam ſimile nomen,quia ſicuti alia habet ſuos filios, qui ſunt ſex. Malitia. quæ non conſiſtit tantùm in eſſe generico, & communi ad omnia vitia, & peccata, ſed in aliquo eſſe peculiari, per quod ſuperat omnia alia,dum per ipſam acedioſus odio habet,& abominatur omnia, que ad Deum ordinātur,& ad utilitatem animæ propriæ diſplicendo ſibi eſſe natū Catholicum, imò ſibi pœnitendo bene operatum fuiſſe. Hinc eſt, quod acedia ex ſuo genere eſt peccatum mortale, niſi excuſet ignorantia inculpabilis, aut indeliberatio. Secundus filius eſt Puſillanimitas, per quam acedioſus non audet exequi opera divini conſilii, ut ex illis perveniat ad ſtatum Sanctæ perfectionis, & eſt de ſuo genere culpa venialis. Tertius eſt Torpor, per quem omittitur id, quod faciendum eſt de præcepto, & eſt de natura ſua peccatum grave.Quartus eſtRancor, per quem acedioſus faſtidit omnes illos pios homines, qui ſanctis admonitionibus, & inſtructionibus curant illum ad benè faciendum inducere, & hoc de ſuo genere eſt culpa venialis. Quintus Evagatio, aut Diſtractio, per quam præfatus acedioſus ob diſplicentiam, quam habet in rebus ſpiritualibus, divertitur, & diſtrahitur mente ab illis, quas actualiter exercet, cogitando alia

non

Digitized by Google

non bona, & illicita. Hæc diſtractio de ſe eſt culpa venialis, dummodo non ſit in operatione, & exercitio illarum, ad quæ obligatur: quia in hoc caſu ſi evagatio, & diſtractio mentis ſit volũtaria, & in parte notabili dictæ ſuæ operationis v. g. Officii Divini, quod actualiter recitat, ſi teneatur illud recitare; eſt culpa mortalis. Sextus, & vltimus eſt Deſperatio, per quam miſerrimus acedioſus deſperat prorsùs de propria conſecutione ſalutis æternæ, reflectens mente cõnfuſione plena ad inextricabiles difficultates illam conſequendi: quæ ſemper eſt culpa gravis, niſi levem reddat Indeliberatio. Sanctus Iſidorus *lib. 2. de Summo bono*, Divus Gregorius 25. *Moralium cap.* 21. Maſtrius *diſputat. 15. quæſt. 8. artic. 2. num.* 149. & alii communiter.

Ut liberetur quis à tali vitio patrando, à quo tot mala originem habent, imò omnium maximum, quod eſt deſperatio propriæ ſalutis, neceſsè eſt, ut admonent Sancti Patres, & Doctores omnes, fugere malenconiam Matrem ipſius vitii, & Avam aliorum ſex, ſerviendo Domino in lætitia juxta illud Pſalmiſtæ: *Pſalmo* 99.

## *De Præceptis Decalogi.*

IDem eſt, & idem ſonat Decalogus, ac lex Divina poſitiva continens decem præcepta, prius impoſita in antiquo Teſtamento à Deo, & Moyſi tributa, qui ſic jubente Deo illa promulgavit, & poſteà à Chriſto Redemptore in Novo, hoc eſt in Sacro Evangelio. Itaque idem eſt dicere, præcepta Decalogi, ac præcepta antiquæ, & uovæ legis.

## *De Primo Præcepto Decalogi.*

IN primo Præcepto Decalogi, quod eſt, Unum cole Deum, in quo Deus præcipit, ut ipſemet tantum à nobis adoretur, quolibet alio excluſo Deo; occurrit primò dubitare in ordine ad adorationem, in quo conſiſtat adoratio, quotuplex ſit, & quænam ex ipſis adorationibus Deo debeatur. & quænam aliis extrà ipſummet Eeum: Secundò, quia cultus & adoratio, quæ Deo debetur, ait Sanctiſſimus Patriarcha meus Auguſtinus in Enchiridion *cap.* 3. quod fieri debet Fide, Spe, & Charitate. Dubium inſurgit, quonam modo fide, quonam ſpe, & quonam modo fieri debet charitate. Et quia denique à præfatis alia ſequuntur dubia eamdem materiam reſpicentia, quælibet movebuntur, & ſolventur ſingillatim majori claritate, & brevitate poſſibili.



Digitized by Google

## DUBIUM PRIMUM.

### *In quo conſiſtat, & quotuplex ſit Adoratio.*

HOc nomen Adoratio ſignificat actum cultus, & obſequii, ſeu reverentiæ alicui præſtitæ propter ipſius excellentiam, ut colligitur ex definitione D. Thomæ *quæſt.* 25. *artic.* 1. 3. *pari* Sed quia hic terminus Reverentia eſt nomen genericum, commune cuilibet honori cuicumque exhibito: quamvis adorationem non mereatur; ad tollendam quamlibet difficultatem, & reducere terminum, ſeu nomen ad ſuam veram, & propriam ſignificationem obſervandum eſt, quod hoc verbum reverentia, ſumptum ſecundum totam ſuam ſignificationem importat quemlibet cultum, & ſubmiſſionem alicui præſtitam; ſecundum verò propriam, & peculiarem ſignificat ſummum obſequium, quod dicitur Veneratio, & tale demonſtratur, eſſe ab eo, qui illud præſtat proſtrando ſe uſque ad terram, ità communiter Auctores.

Hæc adoratio primò dividitur in internam, & externam. Interna illa eſt, quæ fit per intellectum, & voluntatem, quando cognitus aliquis veneratione dignus adoratur, ſubmittendo totam voluntatem ipſi. Externa verò illa eſt, quæ fit corpore externis ſignis inclinationum, & proſternationis, ut diximus. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 12. Maſtrius *diſputat.* 10. *quæſt.*2.*artic.* 1.

Secundo dividitur Adoratio in illam, quæ dicitur Latriæ, in adorationem dictam Duliæ, & in aliã, quæ Hyperdulia vocatur (quæ nomina ſunt voces græcales, quæ omnes ſignificant ſervitutem, & obſequium. Adoratio Latriæ illa eſt, quæ ſoli Deo debetur, Hyperduliæ ſoli Beatæ Virgini Mariæ; Duliæ verò aliis Sanctis. D. Thomas ut ſuprà, Clavis Regia *lib.*4. *cap.* 3. *num.* 4. Rodriquez *par.* 1. *cap.*8. *num.*5. & *alii*.

Hic oriuntur alia curioſa, ſed neceſſaria dubia. I. Quomodo adorari debeat vna ex perſonis Sanctiſſimæ Trinitatis cum ſit diſtincta ab aliis realiter: hoc eſt, ſi poſſit & debeat adorari, ut diſtincta, vel ut indiſtincta, & eadem cum aliis in eſſentia. II. Quomodo ſit adorandus Chriſtus Dominus, tamquam homo (vt Deus enim dubium non eſt, adorandum eſſe adoratione Latriæ) III. Qua adoranda ſint inſtrumenta Sanctiſſimæ Paſſionis noſtri Salvatoris: hoc eſt Crux, Lancea, Spongea, Spinæ, Columna, Canna, &c. IV. Quomodo ſint adorandæ Sanctæ Imagines, & nomina Dei; & Sanctorum. V. Sacræ Reliquiæ. Et denique quomodò adorandi ſint Agnus Ceræ, qui dicuntur Agnus Dei.

Omnibus ſupradictis dubiis ſic brevitèr reſpondetur. Ad primũ, quod quælibet perſona Divina eſt

per

Digitized by Google

per ſe ipſam adorabilis adoratione Latriæ, cum quælibet verus Deus ſit; quia autem non ut diſtinctæ ſunt Deus, aliàs tres Dii eſſent, qui eſt error in fide, ſed tantùm ut omnes tres ſimul eædē cum Eſſentia Divina ſunt, ideò adorari non debent, ut ſimpliciter diſtinctæ, ſed tamquam diſtinctæ in perſona, & eædem in Eſſentia, ita ut, ſi aliquis adoraret alio modo quàm iſto, peccaret contra hoc præceptum, & ſi hoc faceret cum pertinacia, eſſet hæreticus. Clavis Regia *lib.*4. *cap.* 2. *num.*6. Azor. *par.*1. *lib.* 9. *cap.* 5. *quæſt.* 7. Bonac. circa primum præceptum *diſput.* 3. *quæſt.* 1. *punct.*1. *num.* 3. *& alii paſſim*.

Ad ſecundum quod Chriſtus homo, hoc eſt ut perſona debet adorari adoratione Latriæ, ut dicit Concilium Alexandrinum, & Epheſinum, ac etiam D. Thomas 3. *par. quæſt.* 25. *artic.* 2. cum ſit ſuppoſitum, & perſona Divina, quamvis verus homo, in Sanctiſſima enim unione habita inter naturam humanam, & Divinam in æterni Verbi Incarnatione unitæ ſunt præfatæ duæ naturæ in unitate perſonæ Divinæ, non verò perſonæ humanæ, ut fides docet. Undè Chriſto Domino, qui habet duas naturas, hoc eſt humanã, & divinam, debetur adoratio prædicta Latriæ. Humanitati verò Sanctiſſimæ ipſius, hoc eſt naturę humanæ, quænam adoratio debeatur habet D.Tho. 3.*par. quæſt.* *& artic. ut ſupra in corpore ſic*.

Alio modo poteſt intelligi adoratio humanitatis Chriſti, quod fit ratione humanitatis Chriſti perfectæ omni munere gratiarum: & ſic adoratio humanitatis Chriſti non eſt adoratio Latriæ, ſed adoratio Duliæ, ita ſcilicèt, quod una, & eadem perſona Chriſti adoretur adoratione Latriæ propter ſuam divinitatem, & adoratione Duliæ propter perfectionem humanitatis.

Itaque ut vides, D. Thomas vult humanitati Sanctiſſimę Chriſti Domini deberi adorationem Duliæ, quęnam autem Dulia debeatur, explicat ibidem ad primum ſic. *Et tunc ſic intellectæ* (*ſubintellige, humanitati*) *ut ſeparatæ à Dei Verbo deberetur ſibi adoratio* Duliæ, *non cujuſcumque* (*puta quæ communiter exhibetur aliis creaturis*) *ſed cujuſdam excellentioris, quam Hyperduliam vocant*. Sic D. Thomas.

Ad tertium, quod inſtrumenta ſupradicta debeant omnia adorari adoratione Latriæ, illa tamen, qua Chriſtus adoratur. Quod ut intelligas, nota, quod quælibet ex ſupradictis adorationibus, vel ſumi, & intelligi poſſunt abſolutè, & directè, aut reſpectivè, & indirectè. Directè ſumuntur, quando immediatè ſunt perſonæ adorabilis: indirectè verò, quando ſunt rerum pertinentium ad eamdem perſonam, quæ adorantur, non tamquam tales res, ſed tamquàm res illius, qui eſt adoratione dignus, cum adoretur

per-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

perſona in illis. Itaque eademmet adoratione adorantur dicte res, qua adoratur perſona; cujus ſunt, cum hac tamen differentia, quod perſona adoratur tali adoratione, hoc eſt una ex illis tribus ſupradictis abſolutè, & directè: ſed res illius reſpectivè, & indirectè, hoc eſt in ordine ad illam. Lignum ergo Sacroſanctum Crucis Chriſti Redemptoris, & alia inſtrumenta ejus Sanctiſſimæ Paſſionis adorari debent adoratione Latriæ, quæ eidemmet Chriſto Domino debetur, ſed indirectè, & reſpectivè, ut dixi, *cum hoc tamen privilegio, quod Crux dupliciter adoratur adoratione Latriæ, primo in quantum repræſentat nobis figurā Chriſti extenſi in ea. Secundò ex contactu ad membra Chriſti, & ex hoc quod ejus ſanguine eſt perfuſa*. Ita D. Thomas *ibidem*, Azor. *qu.* 9. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 2. *nu.* 3. Filiucc. *tract.* 23. *cap.* 1. *quæſt.* 8. Belarmin. *tom.* 2. *controverſ.* 4. *lib.* 2. *cap.* 8. Valentia *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 11. *quæſit.* 3. *& alii paſſim*.

Ad quartum, cohærenter ad dictam doctrinam reſponderur cum Angelico præceptore, *ut ſuprà artic.* 3. quod Sacræ Imagines adorandæ ſunt eadem adoratione, qua adoratur exemplare, aut ejus prototypus. Quia cum Sacræ Imagines, aut nomina, tamquam res inſenſibiles, & inanimatæ non ſint per ſe adoranda; non adorantur propriè Imagines, aut nomina, ſed exemplare in imaginibus, & nominatum in nomine; quod idem eſt, ac dicere, non adorari adoratione directa, ſed indirecta. Ita communiter Doctores cum Sacro Conc. Trid. *ſeſſ.* 25. Advertendum tamen, quod non poteſt abſque gravi peccato adorari aliqua Imago, tamquam copia alterius v. g. Imago Beatæ Virginis Lauretanæ tamquā ejuſdem Imaginis originalis copia, ſed ſimpliciter, tamquam Imago repræſentans Beatiſſimam Virginem veram, & realem. Hoc autem eſt ob rationem eamdem ſuprà allatam: quia eatenùs adoratur aliqua Imago, quatenùs repreſentat rem animatam: atqui Imago non eſt res animata: ergo non poteſt adorari tamquam copia, aut Imago Imaginis; ſed tantùm tamquàm alia Imago repræſentans idem, quod repræſentat altera: ſcilicet Deum, Angelos, Beatam Virginem, aut Sanctos. Clavis Regia *lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 11. Filiucc. *tract.* 21. *cap.* 1. *num.* 28. Capreolus, Sotus, *& alii*.

Ad quintum reſpondet D. Thomas, *ut ſupra artic.* 6. quod debent adorari Reliquiæ Sanctorum, hoc eſt corpora ipſorum vel integra, vel diviſa, & eorum veſtes, & quodlibet aliud, quod cooperuit, aut tetigit ſacra membra dictorum Sanctorum eadem adoratione Duliæ; cum hoc tamen, quod non debent adorari, ut dicit Sanctus Doctor, tamquam oſſa, cineres, aut veſtes, ſed tamquam res pertinentes ad dictos Sanctos: & hoc propter rationes ſupra di-

Digitized by Google

dictas de Imaginibus.

Ad ultimum, quod Agnus Dei adorari debent adoratione Latriæ, qua adoratur Deus, aut Chriſtus Dominus, cum ſint Imagines illius, non tamen directa, aut abſoluta, ſed indirecta, & reſpectiva, ut ſupra diximus de Sancta Cruce. Bonac. *diſputat.* 3. *qu.* 1. *punct.* 4. Azor. *lib.* 9. *cap.* 9. Vaſquez 3. *par. diſp.* 110. *cap.* 2. & noviſſimè Maſtrius *diſputat.* 11. *n.* 26.

## DUBIUM II.

### *Quomodo ſit adorandus Deus per Fidem.*

ADoratur Deus per fidem, credendo omnia illius myſteria, tantùm quia Deus illa revelavit: quo aſſenſu honoramus Deum, & eidem debitum cultum preſtamus, ſubmittendo noſtram cognitionem, & intelligere, quod comprehendere non valet, imò nec cognoſcere, & penetrare multa, quæ in dictis myſteriis continentur; & hoc non obſtante credimus firmitèr totum, ſolùm quia Deus illa dixit, qui eſt prima veritas infallibilis, ita ut, ſi aliquis ex hoc puro motivo aliquam propoſitionem, aut articulum noſtrę Sanctæ Fidei non crederet, graviſſimè peccaret contra hoc primum præceptum, & eſſet hæreticus, ut aſſerunt communitèr Theologi cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 46. *artic.* 1. & ita certa, & infallibilis hæc doctrina eſt, ut, ſi eſſet aliquis, qui hoc probare vellet rationibus ſophiſticis, aſſerendo, quod major ſit vis rationum, quàm actus liber noſtræ voluntatis, quo volumus credere, & liberè credimus certum, & infallibile totum illud, quod proponitur nobis à Sancta Matre Eccleſia de Fide credendum; Sacra Congregatio Sanctiſſimę Inquiſitionis declarat illum excommunicatum in propoſitione decimanona damnata à dicta Sacra Congregatione die 2. Martii Anni 1679. ſub Innocentio XI.

Ad obſervantiam igitur hujus præcepti adorandus eſt Deus per actus Fidei: ſed quia dictum præceptum eſt affirmativum, quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper; hoc eſt non ad eliciendos actus continuatos Fidei, ut dicunt communiter Doctores cum D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 3. *artic.* 2. Oritur dubium quando teneatur fidelis hujuſmodi actus elicere?

Brevitèr reſpondetur, quod, quamvis ad obſervantiam hujus primi præcepti non teneamur ad actus Fidei ſemper eliciendos: dantur nihilominùs aliqui caſus, ut dicunt Azorius *tom.* 2. *lib.* 8. *cap.* 7. *quæſit.* 6. Turrianus 2. 2. *diſputat.* 35. *dub.* 2. Aragonius 2. 2. *quæſt.* 2. *artic.* 6. Malderus *ibidem artic.* 7. in quibus quilibet fidelis teneatur ſimiles actus elicere. Primus eſt, quando proponuntur alicui myſteria noſtræ Sanctæ Fidei prima vice ſufficientèr: hoc eſt ita ut poſſint ab illo, cui propo-

nun-

nuntur clarè, & diſtinctè intelligi, ita ut ſciat, in quo conſiſtat ſaltem ſuperficialitèr dictum myſterium propoſitum clara, & diſtincta cognitione. Quod evenit pro Catholicis, quando ſunt in ætate conſtituti perfecti uſus rationis, & pro infidelibus quoties proponantur dicta myſteria, & moneantur de obligatione, quam habent ad illa credendum, ut ſalutem conſequantur. Sanchez *in ſumma lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 6. Layman. *lib.*2. *tract.*1. *cap.*10. Filiucc. *tract.*22. *cap.*1. *quæſit.* 8. *& ſequen. & cap.*2. *quæſt.*2. *& ſequen.* Secundus, quando aliquis interrogatus judicialitèr de rebus noſtræ Fidei, an credat, vel non credat tale, vel tale myſterium, aut articulum. In hoc caſu aſſerunt communiter Doctores (& ego dico etiam in primo) cum D. Thoma, Bonaventura, & aliis, quod non ſolùm teneatur quilibet actum Fidei externum elicere, aſſerendo ſe credere, & confiteri propoſitum myſterium, aut articulum: verùm etiam cum actu illo externo una ſimul actum internum, ita & talitèr quod tàm in primo, quàm in ſecundo caſu, ſi aliquis non eliceret actum Fidei modo dicto, peccaret mortalitèr, contraveniendo huic præcepto. Vide Arrag. *loc. citat*, & Bonac. *num.*11.

Aſſerunt etiam iidem Doctores, quemlibet fidelem teneri elicere ſimilem actum toties, quoties exercere debet aliquod opus virtutis, quod non poſſit exerceri abſque fide, cum ſit virtus ad fideles pertinens, ut v.g. exercere Sacramentum pœnitentiæ, & alia, tàm in recipiendo, quàm in miniſtrando. Ego verò bona pace omnium dico, quod non tenetur aliquis in his caſibus elicere actum expreſſum, aut explicitum, ſed implicitum, credendo, ſeù volendo exercere illum actum virtutis, aut opus Sacramenti modo debito: nam ſi alitèr eſſet, dum aliquis confiteretur, & accuſaret ſe non feciſſe illum actum virtutis, ad quem tenebatur; v. g. non feciſſe validam Confeſſionem præteritam, teneretur etiam confiteri, ſe non feciſſe prius hunc actum fidei explicitum, per quem redderetur paritèr invalidum Sacramentum: quod à nemine aſſeritur. Azor. *cap.* 27. *quæſit.*8. *& alii*, cùm Sanchez *loc. cit.*

Colligitur ex ſupradictis, quod peccat contra hoc primum præceptum quicumque aliquod committit peccatum contra fidem, quod à D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 10. *art.*5. dicitur Infidelitas. Quod ut intelligatur in quo conſiſtat, primùm ſcire neceſſe eſt, dictam Infidelitatem aut eſſe negativam (quæ in illis eſt, qui numquam audierunt, nec audire potuerunt quidquam de fide) & ſimilis infidelitas non eſt aliquod peccatum de ſe conſiderata; ſed potiùs pœna, quam vult Deus in aliquibus ratione peccati Originalis: undè illi, qui damnantur hac infidelitate, hoc evenit ratione aliorum

pec-

Digitized by Google

peccatorum, quæ condonari non poſſunt abſque fide. Quod ſi nullum peccatum actuale in illis eſſet, ſufficit peccatum originale, quod non remittitur abſque baptiſmo, in quo profitemur, & confitemur noſtram ſanctam Fidem.

Alia Infidelitas, quæ eſt propria, & verior illa eſt, quæ poſitivè contraria eſt fidei: unde vocari poteſt infidelitas poſitiva, quæ in illis reperitur, qui, quamvis ſufficientèr propoſita ſint illis, ut ſupra diximus, myſteria noſtrę Fidei, nolunt illa credere: hoc autem ſemper peccatum graviſſimũ eſt huic primo prœcepto oppoſitum, prout eſt ſententia communis Doctorum.

Dividit Angelicus Doctor, ut ſupra *artic.* 5. Infidelitatem in dicto ſecundo ſenſu ſumptam in tres ſpecies, hoc eſt in Paganiſmum, Iudaiſmum, & Hæreſim, item alibi addit Apoſtaſiam, quam tamèn, ut ibi declarat, non vult eſſe ſpeciem particularem diſtinctam ab Hæreſi, ſed una circumſtantia aggravans. Prima igitùr ſpecies hujus infidelitatis, quæ dicitur Paganiſmus illa eſt, per quam aliquis fidem credere non vult, quã nunquam neque in omnibus, neque in aliquo amplexus eſt. Secunda, quæ dicitur Iudaiſmus, illa eſt, per quam cum aliquis ſecutus ſit, & amplexus fidem in figura, (ſcilicet Hæbreus, qui credit figuras à Deo datas in veteri lege repræſentantes, & ſignificantes novam Chriſti Domini Evangelicam; ſed non credit hanc veritatem Evangelicam) illam fidem relinquit, & legi Paganæ adhæret. Tertia, quæ eſt Hæreſis, illa eſt, per quam cum aliquis amplexus ſit fidem promulgatam ab eodem Chriſto Domino, illam deſerit, vel in omnibus, vel ſecundum partem: ſi in omnibus dicitur Apoſtaſia: ſi ſecundùm partem, vel in aliquo dicitur propriè Hæreſis. Valentia 2. 2. *diſput.* 1. *quæſt.* 50. Reginald. *lib.* 17. *num.* 35. Tolet. *lib.* 4. *cap.* 3. *ad ſecundum*, & *alii paſſim*.

Advertendum tamèn hìc, quod dici nequit aliquis Hæreticus, ut aſſerunt communitèr Sancti Patres, & Theologi cum S.P. Auguſtino *epiſt.* 102. niſi quando propoſita ſibi à Sancta Matre Eccleſia aliqua veritate credenda, ipſe pertinacitèr illam credere non vult: quia ſi non habeat dictam pertinaciam, & eatenùs illam non credit, quatenus illam non intelligit; imò quoties ipſi explicetur eadem, ſemper paratus eſt, illam credere; Item dum illi conſtet, quod ſit propoſita à Sancta Matre Eccleſia, ut credenda (& eſt id, quod propriè neſcit) promptus eſt ſemper ad credendum, quamvis myſterium non intelligat; hic talis non eſt Hæreticus. Verùm quidem eſt, quod ſi aliquis cum advertentia deliberatè dubitaret de aliqua fidei propoſitione; quãvis apertè non repugnaret, ſed internè non crederet, Hæreticus internus cenſeretur: imò ſi eadem



Digitized by Google

advertentia ſe exponeret ad evidens periculum in errorem labendi, aut legendo libros Hæreticos, ſive audiendo ipſorum prędicationes, in ſimile peccatum incurreret. Beccanus *cap.14. quæſt.2.* Maſtrius *diſput.10. quæſt.1. art. 3.*

Pro complemento hujus dubii remanet dicendum, quemlibet fidelium teneri ſcire ſaltèm in confuſo omnes veritates catholicas, ſemper credere intendens totum id, quod credendum proponit de fide Sancta Romana Catholica Eccleſia: diſtinctè tamèn, & clarè, ſcire tenetur myſteria præcipua, & magis principalia noſtræ fidei quæ ſunt illa, quæ continentur in ſymbolo, & omnia eſſentialia, quæ continentur in illis Sacramentis, quæ debet ipſe recipere; multò magis, quæ debet miniſtrare, ſi ſit Sacerdos. Ità Tolet. *lib.4. cap.2.* & omnes communiter.

## DUBIUM III.

### *Quomodo ſit Deus adorandus Spe.*

SPe Deus adoratur, confitendo illum eſſe noſtrum ſupremum benefactorem, & unicum remuneratorē noſtrorum operum ſanctorum, & meritoriorum: dum ſine iſta confeſſione non habetur Deus neque exiſtimatur tamquam Monarca, & cujuſcumque boni æterni largitor, imò nec etiam temporalis, cum non ſit bonum aliquod quamvis minimum, quod à primo fonte cujuſcumque boni, qui eſt Deus, non emanet; & conſequentèr nec etiam adoratur debita adoratione. Pro cujus perfecta intelligentia.

Hoc nomen Spes ſumitur hìc pro una ex virtutibus Theologicis infuſa à Deo in anima noſtra, per quam in hac vita expectamus ab ipſo bona, quæ nos conducant ad noſtram ſalutem æternam,& in alia eamdē ſalutem cum omni firma certitudine, & hoc totum per merita Chriſti Redemptoris. Ita D. Thomas 2.2. *quæſt.* 17. *artic.5.* Beccanus *ibidem quæ.* 1.2.8. Bannes *ibidem* Malderus *ibid. ſect.* 1. Turrianus 2.2. *diſput.*60. *dub.*36. *& alii*. Itaque tunc verè ſcitur, quod aliquis adorat, prout debet, ipſum Deum, quando per hanc virtutem expectat totum bonum poſſibile ab ipſo in hac vita in ordine ad æternam, & in alia infinitum, & æternum, quod eſt idemmet Deus, ut habet ibidem ut ſuprà D. Thomas, & hoc totum profunda humilitate, ſperando totum non ex meritis propriis, ſed ipſiuſmet Chriſti Domini, ut dixi. Et hòc ita verùm eſt, ut ſi aliquis reponat ſuam ſpem in aliqua creaturarum abſque ordine ad Deum; hoc eſt qui ſperet aliquod bonum ab ipſa creatura, non ordinando illud bonum ſaltem implicitè ad bonum animæ, & æternum; velit D. Thomas ut ſupra, quod hic talis mortalitèr peccet, quem ſequuntur omnes Theologi.

Inſu-

Digitized by Google

Inſuper contra hoc præceptum peccatur deſperatione; & eſt quando aliquis pœnitùs diffidit de miſericordia Divina, non expectando ampliùs nec remiſſionẽ peccatorum, nec ſalutem æternam, nec media neceſſaria pro illa conſequenda: unde non ampliùs operatur, ut debet, quantum eſt de ſe deliberatè pro ſupradicto fine conſequendo: qui actus additus pertinaciæ, credendo hic talis firmitèr, quod Deus non poſſit, nec velit ampliùs ſibi condonare peccata commiſſa; & ſibi tribuere vitam æternam: eſt peccatum Hæreſis, adeoque circumſtantia neceſſariò exprimenda in confeſſione. Toletus, Valentia, Sanchez *citati à* Bonac. *tom.5. diſput.3. quæſt.3. punct.1. num. 6.* & Beccanus *quæſt.17.*

Committitur è contra peccatũ contra hoc præceptum Præſumptione; & eſt, quando aliquis vult, & credit, quod conſequi poſſit à Deo, & gratiam, & gloriam propriis viribus abſque auxilio divino, quæ fuit hæreſis Pelagiana. Item quando aliquis confidit ita, & talitèr in Divina miſericordia. ut credat, & ſperet conſequi remiſſionem ſuorum peccatorũ, non facta debita pœnitentia, & ſalutem æternam ſine operibus meritoriis, quæ fuit hæreſis Luteri. Quod totum non ſolùm eſt peccatum graviſſimum, ſi fiat cum deliberatione ſupradicta, ſed conjunctum cum pertinacia, ut ſupra eſt maxima, & peſſima hæreſis, vel Pelagiana, vel Luterana, ut diximus. D. Thomas 2.2, *quæſt.* 21. Tolet. *lib.*4. *cap.*4. *num.* 9. Bonac. *loco cit. num.* 4. Azor. *prima parte lib.*9. *cap.*2. *quæſt.*7.

## DUBIUM IV.

### *Quomodo adorando ſit Deus Charitate.*

UT benè dubium propoſitum reſolvatur neceſſe priùs eſt examinare in quo conſiſtat charitas. Omnes igitur conveniunt Auctores, quod charitas ſit virtus nobiliſſima, dicta Theologica, quia reſpicit immediatè Deum, ut per ſe ipſum ſummè amabilem: quamobrem eſſe debet forma omnium aliarum virtutum, ita ut illæ ſine iſta nullius ſint valoris. Conſiſtit igitur in amore creaturæ rationalis erga Deum ſuper omnia dilectum, & eſt virtus à Spiritu Sancto infuſa in voluntate ipſius creaturæ, ut dixit D. Paulus Romanor. 5. non autem acquiſita per actus replicatos ut virtutes morales. Et quia amor erga Deum, uti dicitur de amore erga quodlibet obiectum creatum, conſideratus ſecundum ſe poteſt eſſe talis, ut non ſit tantùm erga obiectum amatum, ſed ulterius ordinetur, & dirigatur ad bonum illius, quem amat, non ſiſtendo in bono obiecti amati ſolùm; dùm ametur amicus ob bonum, quod ab illo provenit amanti (qui amor à Sacris Theologis cum Angelico



Digitized by Google

Præceptore dicitur amor concupiſcentiæ. Seù talis ſit, ut ſiſtat ſimplicitèr in obiecto amato eo quod ille, qui amat, nolit bonum aliquod ab ipſo amato, purè amans, quia cognoſcit, & cenſet eſſe obiectum ſecundum ſe dignũ amoris ratione propriorum meritorum, ac virtutis, & excellentiæ ipſius; (qui amor vocatur à ſupradictis Theologis amor amicitiæ) ut habet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 25. *art.* 1.

Vult igitur idem Angelicus Doctor ibidem, quod virtus charitatis ſit amor amicitiæ, & non concupiſcentiæ: dum præceptum amandi Deum, ut docet Chriſtus Dominus Matthæi *cap.* 22. ſit pręceptum illum amandi toto corde, ac totis viribus; quod fieri non poſſet, ſi amaretur amore concupiſcentiæ, quo dividitur cor, hoc eſt affectus partim pro amato, & partim pro amante, cum ametur obiectum non tamquàm bonum in ſe ipſo, ſed tamquam bonum amantis, ut diximus.

Hoc viſo, & præſuppoſito facilè cognoſcitur quomodo adoreturDeus per charitatem:quia cum aliud non ſit adoratio, quam totalis ſubmiſſio ad aliquod obiectum propter illius excellentiſſimas, & nobiliſſimas prærogativas cognitas in illo ab eo, qui illum adorat, ſequitur, quod cum charitas ſit actus amoris amicitiæ, qui cum ſit erga obiectum amatum propter ejus nobilitatem, & excellentiam cognitam ſublimem; dum Deus amatur, adoretur, & dum adoratur, ametur. Et hæc meo videri eſt ratio, cur in præceptisDecalogi non invenitur illud amoris Dei, non obſtante quod ſit omnium eſſentialiſſimum, & maximè neceſſarium, adeòque expreſſum pluribus in locis Sacri Evangelii ab Evangeliſtis communitèr. Hoc inquam ita eſt, quia implicitè includitur in hoc primo modo ſupradicto. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 84. *art.* 1. Valentia. *tom.* 3. *diſput.* 6. *quæſt.* 5. *punct.* 1. Clavis Regia, *& alii communitèr.*

Hoc præceptum obligat quemcumque non ad ſemper: hoc eſt non præcipit, ut ſemper, & omni tẽpore eliciamus ſimiles actus amoris Dei, ſed aliquibus temporibus, & ſunt illa, quibus tenemur elicere actus perfectę contritionis, qui fieri non poſſunt abſque vero, & perfecto amore Domini offenſi, ut ſupra notavimus in prænotandis generalibus in prænotando undecimo: ut v. g. quando aliquis eſt in ſtatu,& circumſtantia, per quam teneatur confiteri, & non poteſt vel ob penuriam Confeſſariorum, vel ob impotentiam loquendi, ut eſt in articulo mortis. Vide Bannes 2.2. *quæſt.* 44. *art.* 1. Item tenetur quilibet, ut habent plurimi, & graves Auctores citati à Bonaccina *diſput.* 3. *quæſt.* 4. *punct.* 2. *num.* 1. *&* 2. ſtatim ac ad uſum perfectæ rationis pervenerit cognoſcens, quid ſit Deus, hoc eſt quod ſit ſupre-

pre-

Digitized by Google

premum, & unicum verum noſtrum bonum, ad quod dirigenda eſt ipſa creatura rationalis tamquam ad ultimum finem, & omnia ſua per actus perfectæ charitatis, quando tamèn moneatur de hac obligatione, in quo caſu ſolummodò non eliciens ſimiles actus peccaret mortalitèr. D.Thomas *qu.89. art.6. & alii communitèr*. Imò Sacra Congregatio Inquiſitionis ſupradicta de mandato Alexandri Septimi die 24.Septembris 1665. prop. 1. declaravit erroneam opinionem, quæ ſubſtinet, non teneri hominem toto tempore ſuæ vitæ elicere actum trium virtutum Theologicarum Fidei, Spei, & Charitatis.

Duo ſunt propriè peccata huic virtuti oppoſita, & conſequentèr huic præcepto. Primum eſt odium Dei, quod nequit intelligi, prout non intelligitur ab aliquo Doctorum, quod ſit odium, & averſio à Deo de ſe & ſimplicitèr conſiderato: quia non poteſt inveniri creatura rationalis, quæ cognoſcens Deum ſummè amabilem cujuſcumque boni largitorem poſſit illum odio habere: Sed quod ſit odium erga Deum tamquam punitorem, quamvis juſtiſſimum, peccati; quare odio habens ille impius jugum quamvis ſuave ſanctiſſimæ legis propter libertatem, quam appetit in operando pro ſuo libito, odit conſequentèr conditorem ejuſdem legis, & illum, qui poſuit pœnam tranſgreſſoribus ejuſdem, qui eſt Deus ipſe, & hoc eſt maximum omnium peccatorum, ut communitèr fatentur omnes Doctores. Aliud peccatum huic præcepto oppoſitum eſt Accedia, de qua ſufficientèr tractavimus ſupra in ultimo dubio de vitiis, & peccatis capitalibus.

## DUBIUM V.

*Quot modis peccetur contra hoc primum Præceptum.*

GEneralitèr loquendo, quia hoc primum Præceptũ propriè, ut vidimus, conſiſtit in adoratione, & cultu, qui debetur à nobis Deo: qui eſt actus primæ virtutum moralium vocatæ Religionis, per quam, ut dicit S.Th. 2.2. *quæſt.* 81. exhibetur debitus cultus, & honor ipſi Deo: omnia illa peccata, quæ contra hanc virtutem committuntur, ſunt paritèr contra hoc præceptum.

Primum igitur peccatum oppoſitum virtuti Religionis, & cõſequentèr contra hoc præceptum eſt Superſtitio, per quam, ut docet Angelicus 2. 2. *quæſt.* 92. & *ſequen.* quem ſequuntur Azorius Leſſius, Sanchez, Toledus, Navarrus, & alii citati à Bonaccina *tom.1. diſput. 3. quæſt. 5. punct. 1.* vel exhibetur Deo cultus, & adoratio illegitima, & falſa, ſive exhibetur cultus non debitus creaturæ. Superſtitio primo modo conſiderata, hoc eſt in ordine ad Deum intelligi poteſt vel ut propriè cõtraria cultui ad Deum exhibi-

hibito noſtris ritibus, offerendo v.g. cum Hæbreis Sacrificium beſtiarum; qui nunc eſt cultus falſus, quamvis in ſtatu antiquæ legis eſſet verus, quia tunc ſignificabat vitam, & mortem Chriſti Redemptoris futuram: quare, ſi nunc fieret, falſum eſſet Sacrificium, & conſequentèr falſus cultus: quia nunc cum jam fuerit vita, & mors ejuſdem Chriſti Domini, falsò fieret illa cęremonia, aut ritus Sacrificii ad exhibendũ in ipſo debitum cultum ipſi Deo, qui ſignificet, aut figuret ſupradictam vitam, & mortem futurã. Vel poteſt intelligi tamquam ſuperflua: & eſſet, quando vellemus addere alios ritus, & cęremonias abſque ulla utilitate Sanctæ Eccleſiæ conſuetis, ut v. g. jejunare in Dominica &c. qui ſimilitèr eſſet aliquo modo falſus, quia contrarius inſtitutioni, & uſui dictę Eccleſiœ. Ex his duabus Superſtitionibus prima impia eſt, & peccatum graviſſimum Infidelitatis, ſecunda verò niſi fiat cum contemptu ſancti uſus, aut ritus Eccleſiæ, eſt culpa levis, & venialis. Suarez *tom.* 2. *de Religione lib.* 4. *cap.* 13. *num.* 16. Filiuccius, Navarrus *citati* à Bonaccina *loco ſupradicto, et alii.*

Superſtitio ſecundo modo conſiderata, hoc eſt in ordine ad creaturas; quibus exhibetur adoratio, & cultus indebitus multiplex eſt. Prima dicitur Idolatria, & eſt illa, per quam adoratur tamquam verus Deus creatura, & hæc non ſolùm eſt contraria virtuti Religionis, ſed etiam Fidei: attamen non numeratur inter ſpecies infidelitatis, ut dicit D. Thomas 2.2. *quæſt.* 94. *artic.* 1.

Secunda eſt Magia, quæ conſiſtit in aliqua poteſtate Mago à Dęmone tributa ob aliquod pactum, & conventionem factam cum illo, qua peſſimis mediis, & ſuperſtitioſis efficitur aliquod, quop ſuperat humanas vires, vel quod naturaliter fieri non poſſit, quod idem eſt. Hoc pactum duplicitèr fit, vel cum pacto eſpreſſo Dæmonis, qui apparet in forma, & figura viſibili, aut ſaltem cum alio Mago Vicario ipſius Dęmonis. Aut fit cum pacto non expreſſo, & claro, ſed tacito, & eſt, quando aliquis quærit aliquam rẽ medio, & virtute alterius, quæ nec per propriam, nec per virtutem à Deo habitam producere poteſt ſimilem effectum, ut v.g. quãdo virtute verborum, aut caracterum nititur quis infirmum ſanare. Hoc peccatum quamvis per ſe ipſum ſit nimis grave, poteſt fieri graviſſimum Hæreſis, quando ille talis, qui hoc ſupradictum efficit, credat, quod Dæmon poſſit hæc facere ſupernaturalitèr per propriã virtutem abſq; permiſſione Divina. Et in hoc nimis debẽt eſſe cauti Confeſſarii; quia quamvis abſque debita advertentia, & notitia ſimiles actiones proferendi verba, caracteres efficiendi, ſignandi &c. non ſint gravitèr peccaminoſæ, attamen quodlibet mini-

ni-

Digitized by Google

nimum dubium, quo fiant, aut quælibet habita notitia non excuſat à culpa gravi. Manſtrius cum Toleto *lib.* 4. *cap.* 24. *& alii uniformiter*.

Tertia eſt Divinatio, & eſt notitiam quærere per viam ſuperſtitioſam de futuris occultis ad prędicenda illa, quæ naturaliter ſcire non poſſumus. Modi verò ſuperſtitioſi, quibus quæritur notitia harum rerum futurarum, omnes ſunt vel cum tacita, vel cum expreſſa invocatione Dæmonis. Modi cum invocatione expreſſa ſunt primò, quando à Dæmone quæritur aliqua apparitio imaginum fictarum, quibus fallitur viſio, & hæc vocatur Præſtigium. Secundo quando aliquis petit à Dæmone, ut ſibi reſponſum det, in eó, quod petit, per ſomnia: quæ vocatur Divinatio per ſomnia. Tertiò quando aliquis petit à Dęmone, ut ſibi manifeſtet aliquid, ut dictum eſt ſupra, per aliquam fictam imaginem mortuorum, aut per fictam loquelam ſolùm: & dicitur Negromantia. Quartò, quãdo invocatur Dæmon, ut manifeſtet id, quod appetitur per ſtatuas, aut alia corpora terreſtria: & vocatur Geomantia. Quintò quando petitur ad eodem, ut manifeſtet idem, ut ſupra in aqua, & diciturHydromantia. Sextò quando petitur, ut illud revelet figuris aereis, aut igneis, & vocatur Eromantia, & Pyromantia. Septimò denique quando ab eodem petitur, ut media obſervatione facta in viſceribus animalium, quæ ad hunc finem ſacrificantur eidem Dæmoni à Mago, ſupradicto revelentur: quæ dicitur Aruſpiciũ. Hæc omnia ſunt peccata graviſſima, quæ nullam admittunt excuſationem, cum non poſſit ex ullo motivo excuſari à culpa gravi. Ita Sancti Patres, & Auctores communiter, vide D. Thomam ſuper hoc 2.2. *quæſt.* 95. *artic.* 1.

Modi conſueti nõ cum expreſſa, ſed cum tacita invocatione ſunt. Primus Aſtrologia, hoc eſt quando à motu, & ſitu ſtellarum vult aliquis inferre illa, quæ dępendent ſolummodò à voluntate Divina, ut v.g. ſalutem, aut damnationem æternam hominis, vel quæ dependent omninò à voluntate, & arbitrio humano: dum non poſſunt ſtellæ influere in voluntatem humanam, nec illi vim facere, quæ eſt libera in operando, quamvis poſſint influere, ut continuò influunt, ut cauſæ naturales in corpora. D. Pater. Auguſtinus *lib.* 2. *de Doctrina Chriſtiana cap.* 20. Suarez, Navarrus, Clavis Regia, Bonaccina, Sanchez, Valentia, *& alii communiter*. Eſt ergo peccatum grave nõ Aſtrologia phyloſophica, & naturalis, quæ diſcurrit de influxu Stellarum in corpora, aut animata, aut inanimata: quia hæc permittitur, ut dicunt uniformitèr Doctores: ſed quidem Iudicatoria, quæ eſt illa, de qua loquimur: quia cum hæc nullam habeat connexionem niſi remotiſſimam cum vo-

voluntatibus liberis creatis, & neque remotam, neque proximã cum increata, & Divina, eſt tantùm execranda, quamvis fallibilis divinatio. Secundus eſt Augurium garritus animalium, quãdo à garritu vario eorumdem expectantur infallibilitèr varii eventus futuri juxta diverſitatem eorumdem garrituum. Tertius dicitur Auſpicium, quãdo à diverſo, & vario volatu avium vult aliquis aliquid auſpicari. Quartus eſt Augurium loquendi, quando ab aliquibus verbis humanis caſu prolatis infertur aliquid futurum. Quintus eſt Chyromantia, & eſt quando à manu, & ſuis lineis idẽ infertur. Et denique alii ſimiles modi, qui omnes ſunt, quando ex obſervationibus aliarum partium corporis humani volumus inferre eventus futuros, qui omnes habent ſuum proprium nomẽ diverſum, & ſunt de ſui natura peccata gravia, quando non excuſent circumſtantiæ ſuprà aſſignatæ.

Datur paritèr alia divinatio, quæ eſt enorme peccatum, & vocatur divinatio per ſortes, ſeu ſortilegium, quod multiplicitèr fit, hoc eſt per ſchedulas, taxillos, cartas luſorias, aut aliis ſimilibus modis. In quibus obſervandum eſt, quod per ſortilegium non intelligitur, quando fit aliquid ex dictis pro diviſione alicujus rei per juſtitiam multis debitæ, & ne alicui ex illis, cui debetur ipſa res, præjudicetur, ſortitur, cui nam tribuendum ſit totum, aut pars ejuſdem rei debitæ (quæ dicitur ſors diviſoria) *ex leg. ſi cum ambo ff. de Iudiciis leg. ſi duobus cap. Communia de legibus*, S.P. Auguſtinus *in Epiſt.* 180. ad ad Honoratum, & Azorius *lib.9. cap.21.* Vel fit ad deliberandum, quid faciendum ſit in aliquo caſu, aut circumſtantia, in qua ratio nullius eſt valoris, ut v. g. cum duo ſint æquales in meritis ad aliquod onus, ſeu munus, nec prævalèat pro uno ipſa ratio, magis quàm pro alio, electio fit ſortiendo, quæ dicitur ſors Conſultoria. Vide Bonaccinam, Filiuccium, & *alios*. Solùm igitur intelligitur ſortilegium verum, & proprium, quando ſupradicta fiunt ad divinandum, aut ſciendum tuta certitudine res contingentes futuras, quæ dicitur ſors divinatoria: hæc autem ſemper de ſui natura graviſſimum peccatum eſt. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 95. Hoc autem fit, ſeu eſt, quia cum non poſſit ex illis certò ſciri id, quod ſcire quis cupit, ex eo quod inter hoc, & illa non eſt aliqua immaginabilis dependentia, & naturalis connexio, à qua poſſit inferri dictus eventus futurus, neceſſariò, ut benè probant Sotus, & Azorius *lib.9. cap.22.* fatendum eſt, quod totum ſit à Dæmone, vel expreſsè, vel tacitè invocato, qui aut per ſuam notitiam, & ſcientiam perfectam, aut per conjecturas ſibi benè notas certò ſcire poteſt, quid futurum ſit?

Quar-

Digitized by Google

Quarta ſpecies ſuperſtitionis dicitur Vana obſervatio, quæ differt à divinatione in hoc, quod hæc, ut vidimus, datur ad indagandas, & noſcendas res occultas; illa verò conſiſtit in variis operationibus ſuperſtitioſis factis ad aliquod utile obtinendum corporis, aut animi interni hominis: quæ operationes ſi fiant, non ut proſint, ſed tantùm ut noceant alicui, dicuntur Maleficium. Hæc vana obſervatio eſt de ſe, & ſui natura paritèr ſemper culpa enormis, dum in illa ſemper continetur expreſsè, aut tacitè invocatio Dæmonis. D. Thomas 2.2. *qu.* 96. *artic.* 1. Sanchez *in lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 1. Bonac. *tom.* 1. *diſputat.* 3. *quæſt.* 5. *punct.* 2. *num.* 3. Clavis Regia *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 23. *& alii cõmunitèr*. Tres habet ſpecies. Prima dicitur Ars nòtoria, quæ conſiſtit in aliquibus orationibus, jejuniis, & aliis operibus piis ad obtinendum per illa certo, & infallibitèr ſcientiam abſque ſtudio, aut aliquo labore, ac ſi eſſet infuſa: hæc autem fugienda eſt tamquam culpa graviſſima, juxta D. Thomæ doctrinam 2. 2. *quæſt.* 96. *art.* 1. Reginaldi *lib.* 17. *num.* 158. Layman. *lib.* 4. *tract.* 10. *cap.* 4. Sanchez. *lib.* 2. *cap.* 40. *& aliorum*. Quia quamvis orationes, jejunia. & alia opera ſimilia ſint optima, & ſanctiſſima, ſi fiant fine obtinẽdi à Divina Majeſtate aliquid concupitum à ſua infinita miſericordia; nihilominùs pro certo, & infallibili, & indubitato habere, quod peracta illa oratione ſolummodò, & illo habito jejunio tantùm, tali tempore, & non alio, obtinebitur id, quod petitur, & deſideratur ex præciſa virtute illorum verborum, aut illius jejunii &c. non eſt petere illud à Deo, ſed à Dæmone illud expectare: nam à Deo obtinetur, & petitur qualibet oratione dummodò ſancta, & approbata ſit, & quolibet opere pio dicto, & facto quolibet tempore; cum Deus non ſit affixus, ſeu conſtrictus tempori, aut verbis, quando tamen non conſtaret de aliquo in contrarium vel per Sacram Scripturam, vel per ſpecialem revelationem à Sancta Eccleſia approbatam. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 96. *art.* 4. Azor. 1. *part. lib.* 9. *cap.* 26. Undè ſi aliquis verè à Deo gratiam, aut favorem, quẽ cupit, expectaret, peteret per quamlibet orationem ad ſanctum opus indifferentèr exiſtimando omnia media ſupradicta æquè efficacia ad illam gratiam obtinendam. Cæterùm ſi affigatur talibus verbis, aut orationibus &c. clarum ſit, & notum, quod illam expectat ſolummodò à prædictis verbis, orationibus &c. quæ non habent per ſe poteſtatem, neque virtutem aliquam ad infundendã illam ſcientiam, neque ad producendos illos effectus, qui petuntur: & ſic infertur clarè, quod in illis ſit pactum ſaltem tacitum cum Dæmone, à quo petitur illa res, ut dicit Sanctus Thomas ibi ſupra, & communiter confirmant



Digitized by Google

Sacri Canones, Sancti Patres, ac Summiſtæ.

Secunda vocatur Obſervatio ſanitatis: & eſt, quando aliquis utitur orationibus, caracteribus, & ſimilibus ad obtinendam ſanitatem; ſicuti paritèr ferre ad collũ appenſas aliquas reliquias Sanctorum, aut aliqua verba ſacra, aut Scripreræ Sacræ, aut Sacri Evangelii ſcripta cum aliqua circumſtantia impropria v.g. à parte ſiniſtra, aut dextera corporis, in aliquo vaſe particulari, & non in alio, cum aliqua ſpecie ligaturæ, & non cum alia; item illa ferre cũ certitudine infallibili, quod obtinebitur id, quod appetitur; res impia eſt, & abominabilis, non obſtante, quod verè illa ferre ſimpliciter in honorem Dei, & Sanctorum, & ad obtinendum ab ipſis concupitum ſimplicitèr abſque dictis circumſtantiis ſit bonum, laudabile, & ſanctum. D. Thomas *ibi ſuprà artic. 4.*

Tertia eſt vana Obſervatio rerum futurarum, quæ fit, quando ab aliquibus caſu eventis prognoſticum infallibile fit de aliquo bono, aut malo, quod eveniet. Affert de hoc varia exempla Sanctus meus Pater Auguſtinus, ità *lib. de Doctr. Chriſtiana cap. 5.* Si duo ſimul ambulantes caſu tranſeat per medium illorum canis, aut puer, aut ſi aliquis ſtatim, ac calceatus ſit, ſternutaret, aut ſi veſtes corroſæ ſint à muribus &c. quas omnes obſervationes vanas tamquam ridiculas ſpernit Sanctus Pater, qui hi magis timent damnum futurum, quod eſt incertum ex his vanis reflexionibus, quàm certum de amiſſione veſtium. Omnia hęc, & alia ſimilia vult Sanctus Pater præfatus, & cum ipſo communitèr Doctores omnes, quod contineant in ſe pacta cum Dæmone habita, quando tamen ab ipſis expectetur certò id, quod prædicti obſervatores pro certò habent ſignificare.

Inter vanas obſervationes ponitur à Summiſtis Maleficium, quod volunt conſiſtere in illa vana obſervatione, per quam maleficus tentat Dæmonis opere nocere alicui, vel in anima, vel in corpore, ſeù in bonis externis ipſius: adeoque maleficus in hoc differt à Mago, ut benè notat Maſtrius *diſput. 9. quæſt. 2. artic. 2. num. 32.* quod Magus id, quod efficit opere ſeu auxilio Dæmonis, illud efficit, ut honoretur, ſed maleficus hoc efficit ſolùm, ut noceat proximo ſuo. Duæ ſunt maleficii ſpecies: Prima dicitur Maleficium amatorium, ſecunda verò maleficium veneficum. Amatorium illud eſt, quod fit ad inducendum, & excitandum ad amorem venereum, aut ex oppoſito ad excitandum odium inter Conjuges, & totum auxilio Dæmonis, qui quamvis nullum habeat dominium ſupra voluntates humanas ad illas vertendas, & mutandas de amore in odium, & de odio in amorem; attamèn ſua induſtria, & arte mutare poteſt phantaſ-

taſmata, aut imagines corporeas, quæ reſident in phantaſia, à quibus dependent neceſſariò animæ noſtræ in operando, hoc eſt in volendo, aut nolendo, & conſequentèr in amando, aut non amãdo, & in non amando, & odio habendo, ut docent communiter Philoſophi. Azor., Bonaccina, & Filiuccius *tract.* 24. *cap.* 8. *quæſt.* 2. *num.* 133. *& alii*. Sive accendere poteſt concupiſcibilem, aut iraſcibilem ad eumdem finem. Non tamen per hoc maleficiatus aſſentiens non peccat, quando maleficium fiat extra conjugatos: & ratio eſt, quia quantumcumque ſit efficax Diabolus in movendo phantaſmata per accenſionem cõcupiſcibilis, aut iraſcibilis: ſemper remanet voluntas noſtra libera, & valida per divinum auxiliũ ad non aſſentiendum, ut habent Concilia, Sancti Patres, & Doctores omnes tam Scholaſtici, quàm Morales. Quod valdè obſervandum eſt à Confeſſariis in ſimilibus caſibus.

Maleficium veneficum fit à malefico Dæmonis auxilio, & opere ad nocendum alicui in corpore cauſando dolores, & infirmitates, aut in ipſius bonis temporalibus, grandines, & tempeſtates, & ſimilia movendo ad demoliendas eorum vineas, campos, & domos, ſeu ad enecandas eorum beſtias. Caveant tamen diligentèr Confeſſrii, ſi occurrant ſibi aliqui ex his maleficis in interrogationibus: quia cum hoc graviſſimo peccato maleficii ſæpè ſæpiùs alia conjunguntur non minora, ut v.g. invocatio expreſſa Dæmonis cum pacto expreſſo habito cum illo, per quod promiſerunt multa contra Fidem: imò dari poteſt caſus, quod renuntiaverint Sancto Baptiſmo, & adoraverint ipſum Dæmonem: adeòque de his, & ſimilibus neceſsè eſt, illos interrogare. Item laudandi ſunt, ſi inquirant ab illis, an ex eorum maleficio provenerit damnum notabile maleficiato ad hoc, ut ſi provenerit poſſint monere pœnitentes de obligatione, quam habent ſatisfactionis damni, & reſtitutionis. Sanchez, Suarez, quos ſequitur Bonaccina *tom.* 1. *diſput.* 3. *quæſt.* 4. *punct. unico*, & Filiuccius *tract.* 24. *cap.* 7. Advertendum paritèr eſt, qnod tam eſt peccatum maleficium facere, quàm illud ſolvere arte, ſeu opere conſimile Dæmonis, quia ſolùm ad Exorciſtam pertinet, habentem auctoritatem illud ſolvendi exorciſmis conſuetis Sanctę Matris Eccleſiæ. Cajetanus verbo Maleficium, Siveſter eodem verbo, Alphonſus de Caſtro *lib. de hæreticis*, Toletus *lib.* 4. *cap.* 16.

Præter peccatum ſuperſtitionis ſupra explicatum, & diviſum duo alia ſunt peccata eidem virtuti Religionis oppoſita, & conſequẽter huic primo pręcepto contraria. Primum vocatur à Theologis, & Summiſtis communitèr tentatio Dei.

Aliud verò ſacrilegium. Primũ committitur, quando aliquis du-

bitans, an Deus habeat nec ne aliquod attributum, aut perfectionem, efficit aliquid ad hoc videndum, & probandum, v. g. an Deus ſit Miſericors, aut Omnipotens ſe immittens in ignem, e. g. ad probandum, an Deus velit, aut poſſit illum liberare ab effectu urendi. Quod ſemper eſt peccatum mortale, ſi fiat abſque ulla neceſſitate, neque per impulſum Spiritus Sancti: nam ſi hoc fiat, ut factum fuit à Sanctis Martyribus in confuſionem Tyrannorum, & Inimicorum noſtræ Sanctæ Fidei ad probandam, & exaltandam eamdem Fidem, non ſolùm non foret peccatum aliquod, ſed eſſet actus heroicæ virtutis, ut habet D:Th. 2.2. *quæſt*. 97. *artic*. 1. *ad tertium*, & *alii*.

Secundùm ſit actibus, aut operibus contrariis cultui, & venerationi debitæ alicui rei ſacræ. Hoc peccatum tribus modis committi poteſt: primò contra perſonas Sacras. hoc eſt Deo dicatas, ut ſunt Sacerdotes, Clerici, aut Religioſi, illos offendendo, aut cum illis carnale commercium habendo; ſecundò contra loca Sacra per effuſionem ſeminis, aut ſanguinis factam in ipſis locis; cum iſtæ actiones oppoſitæ ſint cultui debito dictis locis, ſicuti etiam per furtum eiſdem lucis &c. commiſſum, ita Azorius *part*. 1. *lib*. 9. *cap*. 28. *num*. 1129. Silveſter *verbo Conſecrat. quæſt*. 5. Tertiò contra res Sacras per abuſum Sacramentorum, & omnium aliarum rerum Sacrarum ipſis abutendo in operibus nõ ſanctis. Committit paritèr peccatum hujus ſpeciei ſacrilegii, qui contemnit Sacras Imagines, ornamenta, aut veſtes ſacras, ſive abutitur Sacra Scriptura in rebus ſuperſtitioſis, aut in favorem hæreticorum, & hìc advertendo ultimo, quod in hiſce caſibus ſit ſit contemptus, ſemper eſt culpa graviſſima, ſed hoc præciſo; poteſt eſſe culpa levis, aut gravis juxta materiam. Auctores communiter.

## DUBIUM ULTIMUM.

*De obligatione recitandi Divinum Officium aut Horas Canonicas.*

BEnè mihi viſum fuit, & ad rem hìc tractare tanquam in ſua propria ſede, & loco dubium hoc, cum ſit res adorationi, & cultui propria, quæ, ut diximus, in hoc præcepto commendatur.

Officium Divinum conſiſtit in ordinatione, aut diſtributione partium ipſius per aliqua tempora determinata diei, & noctis diſtributarum, in quibus recitandæ ſint ab Eccleſiaſticis, ex quo dicuntur Horæ Canonicæ. Ad hóc quatuor requiruntur. Primum, quænam perſonæ teneantur Divinum Officium recitare. Secundũ, quæ conditiones requirantur neceſſariò ad ſatisfaciendum huic obligationi. Tertium, quænam ſint pœnę non ſatisfacientis. Quartum;

tum, quænam ſint cauſæ legitimę excuſantes à recitatione præfata Officii Divini.

Ad primam reſpondetur, quod tenentur recitare Officium Divinum Ordinibus Sacris inſigniti, quamvis ſint excommunicati, depoſiti, aut interdicti, cum obligatio Officii Divini ſit onus, non honor. Item tenentur Beneficiati, hoc eſt illi, qui gaudent aliquo beneficio, quamvis non ſint ordinati, ſeu inſigniti prædictis Ordinibus Sacris. Item omnes utriuſque ſexus Religioſi Profeſſi, dummodò non habeant Regulam, aut Conſtitutiones in contrarium, quæ non obligent. Ità communiter Doctores cum Concilio Lateranenſi ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. Et quamvis aliqui ſint, qui defendunt, non teneri Religioſos Profeſſos Ordinibus Sacris nõ inſignitos ad dictam recitationem Officii Divini, niſi vi Regulæ, aut Conſtitutionis, quæ eos aſtringat; communis tamen ſententia ſubſtinet, quod omnes Religioſi Profeſſi Choro deſtinati ad recitationem præfatam teneantur, aut cum aliis in communi, aut ſi impediti non poſſunt, ſaltem privatè ex ſe ſolis: ſicuti Laici Choro non deſtinati hanc obligationem non habent, ſed loco Officii ſolent recitare aliquas Orationes Vocales, quibus aliquæ Religiones tenentur, aliæ non. Cajet. verbo *Horæ Canonicæ*, Navarr. *de Orat. cap.*25. *num.*96. Tolet. *num.* 2. *cap.* 12. Suarez, Azorius, Vaſquez, Leſſius, Macignus, *quos ſequitur* Bonaccina *de Horis Canonicis diſputat.*1.*qu.*1. *punct.* 2.

Ratio verò, cur omnes Religioſi Choro deſtinati, quamvis Ordinibus Sacris non inſigniti teneantur ad recitandum Officium Divinum eſt, quia quamvis non teneantur nec ratione votorum ſolemnium, nec præceptorum Sanctæ Eccleſiæ, aut propriæ Religionis; tenentur nihilominùs ex vetuſta conſuetudine, quæ vim legis habet. Azorius *tom.*1.*lib.*10. *cap.* 5. & Doctores communiter. Item volunt graves Auctores in Clementina 1. *de Regul. fundati*, quod Religiones omnes, quæ habent Chorum, teneantur ſub gravi culpa recitare omnes Horas Canonicas in eodem Choro: undè, ſi non recitetur totum Officium in illo, volunt, quod ſuperior illarum peccet mortaliter, dummodò non ſit cauſa legitima excuſans. Non tamen per hoc quilibet Religioſus tenetur ſub culpa gravi ad dictum onus in communi recitandi illud; cùm tantùm obligatio ſit recitandi Officium in Choro in communi. Suarez *tom.*2.*de Relig.* *lib.*4. *cap.*10. *num.*6. Bonac. *loc. citat.* & *alii*.

Ad ſecundum dico, quod ordo obſervandi Officium Divinum abſolutè loquendo eſſe debet ille idẽ, qui præſcriptus, & determinatus fuit in Breviario Romano, ſeu juxta Ritum peculiarem aliquorum Locorum, aut Religionum conceſſum à Summis Pontificibus.

Quamo-

Quamobrem ſi aliquis per contemptum ſervare nollet illam ordinationem, quam debet juxta Ritum communemRomanum,aut peculiarem proprii Loci, aut Religionis peccaret mortaliter. Si verò hoc eſſet ex alio titulo commoditatis ſcilicet, aut impedimẽti, priùs recitandoVeſperam,quã Horas, aut prius Horas, quàm Matutinum, vel nullum eſſet peccatum, vel tantùm veniale: quia ordo præſcriptus non eſt de præcepto, niſi tamquam circumſtantia accidentalis. Rebellius, Leſſius, Toledus, *& alii relati* à Maſtrio *diſputat.* 14. *quæſt.*2. *artic.*1.

Quælibet hora v. g. Matutinũ, & Laudes, aut Prima &c. debet recitari continuatè, ita quod ſi aliquis interrumperet per longum tempus cum cauſa legitima v. g. per aliquam urgentem neceſſitatem: non eſſet peccatum aliquod, neque eſſet obligatio initiũ reaſſumendi præfatæ horæ: ſed abſque dicta cauſa eſſet culpa levis, dummodò non ſit contemptus, juxta communiorem ſententiam. Cajetanus, Aragonius, Barboſa, Suarez, *& alii, quos ſequitur, & citat* Bonaccina *tom.*1. *diſputat.*1. *qu.*3. *punct.* 1. Sed quia nonnulli ſunt, qui contendunt præfatam interruptionem ſine cauſa legitima, eſſe culpam gravem. Navarrus *de Orat. cap.* 16. *num.* 76. Medina, Azorius, Macignus, & Angles *de Orat. quæſt.* 5. *difficult.*5. Lezana, *& alii*. Ad eximendum ſe ab omni ſcrupulo melius erit in dicto caſu reaſſumere horam ab initio.

Horæ præfatæ Canonicæ cantari, aut recitari debent in publico diſtinctis temporibus, hoc eſt aliquæ uno tempore, & aliquæ alio; omnes tamen ita diſtributæ tempore præſcripto à Sancta Eccleſia, & non aliter, hoc eſt ab una ad aliam mediam noctem juxta uſum, & conſuetudinem Choriſtarum tam Sęcularium,quã Regularium, Conciliorum Canones, Sancti Patres, ac Doctores paſſim.

In privato verò, & extrà Chorum quamvis laudabile ſit recitare illas temporibus diverſis, unam ſcilicet partem poſt aliam ſecundum tempora aſſignata, aut omnes ſimul juxta propriam commoditatem, dummodò totum Officiũ terminetur media nocte ſequenti, immò ſi audiretur hora medię noctis non per hoc eſſet ſcrupulus ſi remaneret aliqua pars, etiam notabilis recitanda cum compleri poſſit vel in quarta, vel in tertia parte horæ ſubſequentis, juxta commune aſſertum Cauſtarum, non enim omnes horologii ſimul dant ſignum, & æqualitèr ſonando: conceditur nihilominùs recitare, aut canere Matutinum cum Laudibus die præcedenti pro ſequenti poſt prandium tamen propè ſerum poſt Veſperas, & Completorium dictum ejuſdem præcedentis diei: & non obſtante, quod variæ ſint opiniones, & ſententię in aſſignando tempore præfixo recitationis dictarumHorarum;ego

tamen

Digitized by Google

tamen ſequens opinionem Lezanæ *cap.* 12. Maſtrii *diſput.* 14. *qu.* 2. *artic.* 1. *num.* 53. cum Suarez, *& aliis*, dico, quod pro quiete cujuslibet timoratæ conſcientiæ hora magis propria, & certa pro dicta recitatione eſt quinta poſt meridiem in qualibet diverſitate temporis anni, quod ſemper erit poſt horam Completorii deſignatam pro recitatione Choriſtica. Neque ex hoc audeat aliquis inferre, aut aſſerere, quod poſſit unico Officio ſatisfieri pro duobus diebus, quia hoc damnatum fuit inter alias propoſitiones videlicet in ſeptima Sacræ Congregationis Inquiſitionis die 18. Martii anno 1666.

Requiritur pariter attentio ad ſatisfaciendum huic præcepto, ut habet D. Thomas *in 4. diſtinct.* 25. quæ reſpectivè debet eſſe eadem, quæ requiritur pro Miſſa audienpa. Ad videndum igitur, ſeu examinandum, quæ attentio neceſſariò requiratur, ſciendum eſt, quod attentio duplex eſt, ut habet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 83. *artic.* 13. Prima dicitur interna, ſecunda externa. Interna illa eſt, qua mens applicatur illi, quod operamur (& in caſu noſtro Officio Divino) quæ poteſt eſſe in ordine ad dictum Officium tribus modis, ſcilicet vel applicando verbis, quod ſint benè & diſtinctè prolata, aut ſignificato verborum, aut effectui eorumdem elevans ſe ille, qui recitat Officiũ à ſignificato verborum ad contẽplationem rerum cœleſtium, & Divinorum myſteriorum. Externa conſiſtit in liberando ſe ab omnibus occupationibus, & aliis negociis, quæ incompatibilia ſunt cum recitatione dicti Officii, ità communitèr. Hoc præſuppoſito.

Dico, quod neceſſariò requiritur ad Officium Divinum attentio externa: & licèt quælibet ex tribus internis ſupra numeratis ſit valdè bona, & utilis, præcipuè tertia, nihilominùs hæc externa cum prima ex tribus prædictis, virtualitèr ſaltem habita requiritur neceſſariò, ita ut ſine ambabus præcepto non ſatisfiat; ita paſſim Doctores apud Bonaccinã. Per attentionem internam virtualem intelligunt Doctores actum non retractatum. Itaque neceſsè eſt, ut ante recitationem Divini Officii habeatur intentio, & voluntas illud recitandi: poſteà verò ſi diſtrahatur, dummodò non eliciat actum poſitivum voluntatis, per quem dicat, nolo recitare Officium, contrarium primo quo expreſsè, aut tacitè dixit, volo recitare Officium; habet attentionem virtualem ſufficientem ad ſatisfaciendum præcepto recitandi Officium. Toletus *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 4. Navarrus, Reginaldus, Emanuel Sà, Sotus, Bonaccina, Barboſa, Belarminus, Layman, ac Suarez *cap.* 4. *&* 26.

Ad tertium reſpondeo, quod talis eſt obligatio recitandi Officiũ Divinum, quod ſi aliquis tenetur illud recitare, omittens illud

quoti-

quotidiè vel totum, vel partem notabilem illius, peccat mortalitèr. Silveſter *verbo Hora quæſt.* 12. Leſſius, Navarrus, Azorius, & Bonaccina *quæſt.* 5. *punct.* 10. Sed quia variæ ſunt opiniones Summiſtarum in aſſignanda hac parte notabili, non erit inutile pro animi quiete, quando aliquis omiſit aliquam horam parvam, hoc eſt primam, tertiam &c. aut majorē partem ejuſdem; totum Matutinum, aut Laudes, ſive majorem partem cujuslibet ipſarum, ut v.g, pluſquam unum Nocturnum, hoc eſt unum Pſalmum, aut duos ultra dictum Nocturnum Matutini, ſive omnes Pſalmos Laudum, quæ meo videri ſunt partes notabiles; accuſare ſe in confeſſione de illis tamquam de culpis gravibus, vel certis, vel valdè dubiis: quamvis conſcientiæ timoratæ ſolent ſe accuſare de qualibet minima parte ommiſſa, quæ conſiſtit non ſolùm in uno Pſalmo integro, ſed etiam in aliquo verſu Pſalmi, aut Reſponſorio etiamſi non ſit aliquod ſcrupulum culpę gravis illa omittere. Ita paritèr debet facere, qui omiſit diverſas partes Officii Divini exprimendo in confeſſione, quænam ſint illæ partes notabiles, quas omiſit: nam diverſæ etiam ſunt opiniones in aſſerendo an ſint plura, aut unum tantùm peccatū omiſſio omnium partium eſſentialium, & notabilium, cum aliqui velint, quod omiſſio cujuslibet ſit peccatum grave, alii verò negant: quamvis apud me probabilius ſit, quod quando ſint tot actus deliberati voluntatis, quot ſunt partes notabiles omiſſæ, tot ſunt peccata, quot ſunt partes omiſſæ: quando verò eſt unicus actus cōtinuatus, & non interruptus, quo aliquis velit omittere totum Officium, & omnes ſupradictas partes eſt unicum peccatum tantùm. Navarrus *de Oration. cap.* 7. *nu.* 9. Suarez, Valentia, Malderus, & *alii, quos ſequitur* Bonac. *tom.* 1. *diſputat.* 1. *quæſt.* 5.

Ultra peccatum mortale, quod committunt Beneficiati in omiſſione recitationis Divini Officii, aut privatim, aut publicè in Choro juxta obligationem peculiarem, quam quilibet illorum habet ratione ſui beneficii; qui omnes tenētur ad reſtitutionem fructuum, aut reddituum pro rata, ſeu portione, quæ illis contingeret illa die, qua Officium omiſit, ut habetur ex Concilio Lateranenſi ſub Leone X. & Decret. Beati Pii V. edito 18. Octobris 1571. ita quod ſi fructus annui ſint unius, aut duorum nummorum aureorum pro quolibet die, tenetur Beneſiciatus ad reſtitutionem unius, aut duorum nummorum aureorum toties quoties Officium omiſit. Quod ſi omiſit totum, tenetur ad totam prædictam reſtitutionem, ſi partem ſolùm ad unam portionem correſpondentem ad illam. Quæ reſtitutio facienda eſt Eccleſiæ Beneficii, vel Pauperibus, & locis piis. Verùm quidem eſt, quod ſi tales Beneficiati habent aliud

onus

Digitized by Google

onus ultra recitationem Officii Divini, pro quo onere ſunt etiam redditus: ut v. g. Epiſcopi, aut alii ſimiles; debet fieri reſtitutio ſupradicto judicio viri prudentis detracta portione reddituum pro onere. Immò ſi redditus non correſponderet labori in recompenſationem illius, quod non habet pro ipſo, non tenetur in hoc caſu ad ullam reſtitutionem. Toletus *lib.2. cap.12. num. 5.* Rodriquez, Leſſius: Enriquez, Lopez, Medina, Naldus, Vaſquez, Layman, Beya, *& alii contra* Suarem, Valentiam, Filiuccium, & Azorium *lib. 10. cap. 14. quæſt.2.* Navarrus, Emanuel Sà, Macignus, Filiuccius &c.

Ad quartum, & ultimum dico, quod excuſantur à recitatione Officii Divini primò illi, qui patiũtur graves infirmitates, quamvis non ſit febris, per quas poſſet judicio Medici, aut aliorum peritorum, aut Confeſſarii magis augeri infirmitas præfata recitatione, Silveſter *verbo Hora quæſt. 4.* Squillas, Peſantius, Sotus, Bonaccina, *& alii.* Item excuſat urgens, & inevitabilis occupatio incompoſſibilis cum illa recitatione, non ſolùm ſpiritualis, ſed etiam temporalis habita aut pro ſe, aut pro aliis, à qua omiſſa poſſet provenire aliquod damnum notabile, ſicuti ex oppoſito ab illa in executione poſita proveniret utile notabile, & neceſſarium vel ſibi, vel proximo ſuo, quando tamen non ſit tempus nec anteà, nec poſt ipſam in illo die recitandi dictum Officium: quia in illo caſu occupatio ſupradicta non excuſaret, niſi notabilitèr ex illa laſſus remaneret occupatus. Excuſat paritèr impotentia, quando v. g. aliquis nec habet, nec poteſt habere Breviarium ad illud recitandum, dummodò hæc carentia ſit abſque ſua culpa: quia ſi Breviarium eſſet ammiſſum ob Domini negligentiam, non eſset ſufficiens motivum excuſationis amiſſio illius. Suarez *cap. 27. num. 9.* Navarrus, Azorius, Toletus, Bonaccina, Graſſius, *& alii communiter.*

Ultimo excuſat oblivio inculpabilis, & invincibilis, non autem vincibilis, & culpabilis. Bonac. *diſputat. 1. quæſt. 4. punct. 2. cum communi.* Quare ſi aliquis ante prandium v. g. recordetur, quod debet Officium Divinum recitare, & poſſit commodè illud eo tempore recitare: poſteà occupetur in aliqua re quamvis neceſſarià, quæ teneat illum occupatum toto tẽporis reſiduo: aut diſtrahatur in aliud negotium non neceſſarium, per quod oblitviſcatur etiam invincibilitèr dictæ recitationis: nõ excuſatur hic talis à culpa gravi. Cajetanus in Summa verbo feſtorum violatio. Navarrus *cap. 12. not. 9.* In quolibet verò ſupradictorum caſuum, in quibus aliquis excuſatur à recitatione Divini Officii, non excuſatur tamen ab obligatione recitandi illam partem, quam recitare poteſt, aut

ſolus, aut aſſociatus, dummodò ſit poſſibilitas: quia ſententia oppoſita, quæ ſubſtinet, non teneri ad totum Officium, qui non poteſt majorem partem illius recitare, eo quod major pars trahat ad ſe minorem eſt propoſitio quinquageſima quarta inter damnatas à Sacra Congregatione præfata ſub Innocentio XI. die 2. Martii 1679.

## *De Secundo Præcepto Decalogi.*

IN Secundo Præcepto, quod eſt, Non aſſumes nomen Dei tui in vanum, prout habetur in Deuteronomio *cap.5.* & in Exodo *c. 1.* quo prohibetur abuſus, & contemptus Sanctiſſimi Nominis Dei, quod fit juramento, aut blaſphemia, ut habent communitèr Doctores, & præcipitur ſumma reverentia eidem nomini Divino præſtanda, obſervando juramenta, & vota facta Deo; occurrit ad ſciendum, quomodo tranſgrediatur hoc præceptum juramento, blaſphemia, & voto ſupradictis, reſolvere ſequentia dubia.

## DUBIUM PRIMUM.

### *Quomodo peccetur Juramento.*

UT hoc ſciatur, primo advertendum eſt, quod juramentum communitèr definiri ſolet Invocatio divini teſtimonii ad aliquid confirmandum. Et ſignificat, quod tunc verè juratur, quando Deus vocatur in teſtimonium pro aliqua re confirmanda, quæ difficilè creditur. Quod juramentum fieri poteſt vel ore per verba, vel ſignis tangendo pectus ſuũ ſicùt Sacerdotes, aut Scripturas Laici prout eſt uſus ante Iudicem. Suarez *lib.1. de Iuramento cap.1.* Silveſter, Armilla, *& alii apud* Sanchez.

Advertendum ſecundò, quod quamvis multa ſint vera juramenta, in quibus non nominatur apertè, & explicitè Deus, ut v.g. quãdo juratur per Beatiſſimam Virginem, per Angelos, per Sanctos, aut per Creaturas inſenſatas, ut Cœlum, & elementa: dicuntur, & ſunt talia, quia in illis Sanctis, aut Creatnris intelligitur tacitè, & implicitè Deus invocatus tamquam Creator, glorificator, aut quocumque modo ſupremus Benefactor ipſorum: immò interdum ſolet clarè nominari, dicendo v. g. per Cœlum Dei, per ignem, aut aquam Dei &c. Quod ſi non intelligatur invocare ullo modo Deũ, non eſt juramentum. Sanchez, Layman, Bonaccina *tom.2. diſp.4.*

Immò

Immò hæc juramenta erunt majora, vel minora, prout magis, vel minus in ipſis reſplendent Divina attributa, hoc eſt Sapientia, Potentia, & ſimilia. Undè inter hæc majus juramentum, quod fieri poteſt, eſt per Beatiſſimam Virginē, aut per alios Sanctos, vel Creaturas reſpectivè. Toletus *lib.* 4. *cap.* 20.

Quatuor genera juramentorum aſſignari ſolent, hoc eſt Aſſertorium, Promiſſorium, Comminatorium, & Execratorium. Aſſertorium eſt, quando ſimùl cum invocatione nominis Dei, ut diximus, affirmatur, aut negatur aliquid præſens, aut præteritum: ut v.g. ſi dicatur, talis commiſit, aut non commiſit tale delictum per Deum. Promiſſorium eſt, quando promittitur eadem invocatione aliquid faciendum, vel non faciendum. Comminatorium, quando dicta invocatione minatur quis aliquam pœnam, ut v. g. ſi aliquis diceret, te percutiam per Deum. Execratorium eſt, quando affirmatur, aut negatur, ſive promittitur aliquid ſibimet aliquam pœnam, aut detrimentum imprecando, ut moriar, vel Deus me puniat ſi faciam hoc, vel illud. Ejuſdem generis eſt juramentum factum, dicendo v.g. per vitam meā, per meum caput, filios, uxorem, & ſimilia faciam hoc, vel illud: quia interpretatur, ſi non faciam hoc, Deus mihi auferat vitam, filios &c. Azorius *tom.* 1. *lib.* 11. *cap.* 2. Quamobrem eſt juramentū execrandum jurare per animam propriam: quia ille qui hoc modo jurat, tacite ſibimet damnationem ejuſdem animæ imprecatur, ex eo quod ita interpretatur, ſi non faciam hoc, Deus me condennet ad æternum ignem: quare ſimile juramentum numquam fieri debet ſive pro vero, ſive pro falſo.

Notandum eſt, quod juramentum per ſe ipſum res Sancta eſt, & ut tale non vituperio, ſed ſumma laude dignum: undè habetur in Pſalmo 62. *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*, ita ut ſi aliquis negaret hoc, eſſet hæreticus, negando quod aſſerit Sacra Scriptura. In hoc tamen præcepto non prohibetur ſimplicitèr juramentū, ſed tantum indebitè, ſeu in vanum; quod idem eſt jurare. Ità communitèr.

Duobus modis in vanum juratur, Uno modo quando jurando non vocatur in teſtimonium verus Deus, ſed falſus, hoc eſt idola Gentilium, aut aliæ creaturæ tamquam res adoratæ, & conſequentèr titulo Dei: aut invocatur Dæmon. In quo committeretur peccatum graviſſimum: quod ſi eſſet cum omni, & plena advertentia, eſſet caſus Sacræ Inquiſitionis. Et hæc eſt ratio, ut docet D. Thomas 2.2. *quæſt.* 98. *artic.* 4. quare numquam debet induci, nec cogi ad iuramentum aliquis, de quo fundatè judicari poteſt, quod juraturus ſit invocatione falſorum Deorum: ut ſunt Idolatræ: & ſi aliquis hoc faceret, peccaret morta-

taliter, quamvis in judicio, aut ex aliqua urgente neceſſitate poſſit acceptari juramentum illorũ: quia ut aſſerit Angelicus, licitum eſt uti malo ad finem bonum, prout eveniret in caſu, in quo inveniri non poſſet veritas abſque teſtimonio alicujus ex ſupradictis: non debet tamen cogi ad hoc, ut diximus, cum non liceat aliquem inducere ad malum operandum. Suarez *cap. 9. num. 2.* Tolet. *lib. 4. num.* 21. Bonac. *disput.* 4. *quæſt.* 1. *punct.* 1. Clavis Regia, Alexius &c.

Alio modo juratur in vanum, quando non obſervantur tres cõditiones ad bonum, & validum juramentum neceſſariæ. Hæc autem ſunt, Veritas, Juſtitia, & Neceſſitas. D. Thomas *quæſt. 89. artic. 7. quem alii ſequuntur apud* Clavem Regiam *lib. 5. cap. 3. nu. 1.* Neceſſitas (ut incipiamus ab ultima, & terminemus in prima, quæ majorem ponderationem requirit) habenda eſt: quia juramentum eſt ſolùm licitum, quando alio modo aliquis credere non vult aliquid valdè neceſſarium: Iuſtitia eſt pariter neceſſaria, quia aliquid, quod eſt peccatum, non poteſt jurari: ut v. g. ſi aliquis proprio juramento revelaret rem occultam, ex cujus revelatione proveniret damnum notabile alicui. Itaque jurando in his ſimilibus caſibus committeretur peccatum mortale, aut veniale juxta materiam juratam: quia ſi id, quod juratur, eſt peccatum grave, juramentum peccatum grave eſt, ſi verò juratum ſit culpa levis, juramentum pariter culpa levis erit.

Veritas eſt principale requiſitũ ad hoc, ut licitum ſit juramentũ; cum falſum jurare ſemper peccatum grave ſit, quamvis id, quod juratur, ſit materia leviſſima, & ab illo juramento quælibet utilitas proximi, aut jurantis proveniret, vel è contra non jurando quodlibet grave damnum ſive illius, qui jurat, ſive aliorum reſultaret, etiamſi eſſet propriæ vitæ amiſſio. Navarrus, Sanchez, Clavis Regia, Toletus, Bonaccina, & *alii*. Verùm quidem eſt, quod ad juramentum falſum non ſufficit aliquid jurare, quod non ſit, prout juratur; non ſufficit enim v. g. quod ego dicam, Titius non eſt Romæ, & Titius Romæ ſit; ſed neceſsè eſt, quod ille, qui jurat, ſciat, & judicet verè quod juratum non eſt conforme juramẽto. Undè in caſu dicto neceſſe eſt, quòd ſciat, aut judicet, verè Titium eſſe Romæ. Itaque jurando aliquis illud, quod quamvis non ſit Iuramento conforme, judicat tamèn jurando, quòd ſit Iuramento conforme: hic talis nullo modo peccat, niſi in duobus caſibus, quorum primus eſt, quando non adhibuit moralem diligentiam ad ſciendum, & cognoſcendum ſi illud, quod jurare debebat, verum erat, aut falſum, ſed ad ſimplicẽ, & levem ſuſpicionem, quod verum eſſet, illud juravit. Secundus eſt, quando res, quam juravit,

vit, dubia erat apud ſemetipſum, & illam juravit tamquam certam: Dixi dubiam apud ipſum, quia quamvis res certa eſſet ſecundùm ſe, ſufficit, quòd dubia ſit in ſua exiſtimatione, & illam juret tamquam certam, ut falſum juret. Toletus *lib.* 4. *cap.* 21. Sylveſter *verbo Perjurium quæſt.* 5. *& alii*. Immò non ſufficit jurare rem, prout judicatur vera, aut non vera; ſed etiam neceſſe eſt, ut verū juretur, quòd dicta res juretur, prout judicatur, aut cenſetur ab illo, qui audit; non verò juxtà mentem jurantis. V. g. ſi à me peteret aliquis ſic: (Ivit ne Sempronius hodiè manè adGymnaſium?) Si ego verè ſcio, quòd hodiè manè Sempronius ivit, non poſſum verum jurare, dicendo (non ivit) quamvis intelligam non iviſſe heri: quia ille, qui me interrogat, intelligit, hodie mane, & benè ſcio, ita illum intelligere. Et ratio eſt, quia ille talis decipitur à mea reſponſione, & Iuramento: & ſi fiat hoc in caſu, quo ſit ne- neceſſario atteſtatio jurantis, eſſet prejudicium notabile tertii, & conſequentèr ultra peccatum duplex, & juramenti falſi, & cauſæ damni tuo Proximo illati; teneretur ad compenſationem illius dāni. Sylveſter *verbo Iuramentum*, *quæſt.* 3. *& alii*. Hic modus igitur jurandi, quem vocant Doctores, jurare cum amphibologiis, ſeu reſtrictione mentali, addendo, vel retinendo aliquid in mente, quod ſenſum mutet, ut decipiat audientem, non eſt licitus, imò peccaminoſus, & damnatus ab Innocentio XI. 26. 27. & 28. Poſſumus quidem in aliquibus caſibus uti æquivocis à communi huminum inſtituto approbatis, quibus etiā uſi ſunt Sancti, tàm veteris, quàm novæ Legis, abſque eo quòd mētiamur. Mendacium quippè (ut verbis Sancti Patris Auguſtini, *cap.* 12. *loquar*.) *Eſt falſa ſignificatio cum voluntate fallendi. Non eſt autem falſa ſignificatio, ubi etſi aliud ex alio ſignificatur; verum eſt tamen; quod ſignificatur, ſi rectè intelligatur*. Præfati autem caſus à Doctoribus ſequentes enumerātur. Primus eſt, quando aliquis inſtigatur ad jurandum præmuroſa inſtigatione abſque ulla neceſſitate: quia ſpontaneè Iurans abſque dicta inſtigatione, non poteſt æquivocare. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 26. *& alii apud Sanchez lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 43. Secundus, quando interrogatur illegitimè, & cogitur ad dicendū cum juramentò aliquid, quod non debet, cùm reſultet in damnum ſuum notabile, vel Proximi contra Iuſtitiam, ut ſupra diximus, non obſtante quòd interrogans ſit Snperior, aut proprius Iudex. Dixi (ſi interrogetur, & cogatur ad jurandum aliquid injuſtū) quia ſi res juſta, & rationabilis ſit, non poſſumus uti æquivocatione in reſponſione, & Iuramento; immò requiſitus aliquis à ſuo Superiore, aut Iudice ad jurandum in judicio ratione alicujus delicti,



Digitized by Google

quamvis gravis, & notabiliter pernicioſi ipſi requiſito teſti, ſeu aliis; ſi delictum jam ſit probatum per teſtem fide dignum, aut probatione, quæ dicitur ſemiplena, ſive ſufficientèr ſit diffamatum dictum delictum; vel ſine dictis cõditionibus, quando ipſum delictũ ſit ſimplicitèr nocivum alicui Reipublicæ, aut integræ Communitati, ſicut aliqua hæreſis; in his caſibus, quamvis ſecretum ſit delictum, debet ille talis reſpondere, & jurare jtxta intentionem interrogantis, abſque ulla æquivocatione: dummodò tamen non ſit ſecretum ſigilli Confeſſionis.

Omnes ſupradictæ conditiones haberi debent non ſolùm in Iuramento aſſertorio, verùm etiam in promiſſorio reſpective: nam qui promittit cum Iuramento tenetur ſub culpa mortali illud obſervare, & conſequenter non obſervando illud, quod promittit, ſive res magni, vel parvi momenti ſit, eſt perjurus. Non tamen tenetur illud obſervare in re peccaminoſa, immò obſervando Iuramentum factum in ſimili caſu, peccaret, vel gravitèr, vel leviter juxta materiam; & peccatum eſſet duplex, tam ratione Iuramenti, quàm ratione intentionis peccati: quod ſi ſit grave, erunt duo peccata gravia, juramentum ſcilicet; & intentio peccati; dummodo tamen ſit intentio illud obſervandi, quia ſi non ſit hujuſmodi intentio, ſolum juramentum erit peccatum; cùm ſit falſum. Idem quod dicitur de his duobus, etiam dicendum eſt de duobus aliis: quia commi-natorium eſt ſimile promiſſorio, immò reducitur ad illud, ſicuti execratorium ad aſſertorium. Maſtrius *diſput.* 11. *quæſt.* 3. *art.* 2.

Colligitur ex ſupradictis, quòd juramentum ſemper obligat Iurantem ad obſervantiam ipſius, ſi ſint conditiones ſupradictæ, quæ ſi deſint, non obligat. Et uno verbo, quando res, quæ juratur, eſt poſitivè bona, non autem negativè, hoc eſt non mala, ſemper obligat; itaque res neque bona, neque mala, ut ludus v. g. quem vocant actum indifferentem; jurata non obligat, quia non eſt poſitivè bona, quamvis bona ſit negativè, cũ ſit non mala. Bonaccina *diſput.* 4. *quæſt.* 5. *pun.* 4. *num.* 2. & communites Doctores. Hæc autem regula eſt valdè conſiderabilis ad cognoſcendos, & diſtinguendos multos caſus, an ſecum ferãt obligationem obſervantiæ Iuramenti; quia poteſt dari caſus, quòd Iuramentum in hac circumſtantia temporis ſit de aliqua re bona, & conſequenter obliget ad obſervãtiam ſub culpa mortali: ſed in alia circumſtantia, aut tempore res bona fiat mala. In tali caſu juramentum non tenet. Toletus *loco citato.* Clavis Regia, Scotus, Layman, Leſſius, Faber, Filiuccius, & alii: *exemplum ſit.* Aliquis Sacerdos jurat, ſe non velle per aliquam viam tranſire, in qua ſemper, vel ferè ſemper peccati occaſionem habet, Iuramentum obligat.

Digitized by Google

gat. Datur caſus, quod aliquis ſit vulneratus in dicta via, & ſit in evidenti periculo mortis, nec promptus eſt pro illo tunc alius Sacerdos, qui illius audiat Confeſſionem: hic talis non ſolùm in hac circumſtantia non tenetur ad Iuramentum, cùm malum ſit illùc non ire, quod aliàs eſſet bonum: ſed obſervando illud, graviter peccaret.

Colligitur ſecundò, quòd juramentum, quamvis de re levi ſit, & conſequenter ſit peccatum veniale; nihilominus, quia eſt de re mala, non obligat ad obſervantiam ſub culpa mortali. Buſembau, Navarrus, & alii.

## DUBIUM II.

*Quomodo peccetur Blaſphemia.*

SOlent aliqui Caſuiſtæ tractare de blaſphemia in primo Præcepto, cùm ſit etiam peccatum cōtra Virtutem Religionis, quæ Virtus principaliter reſpicit dictum præceptum, ſunt tamen aliqui, qui magis propriè illam hic ponunt, ubi ponitur Iuramentum, quod pariter eſt contra Religionē, ſicuti blaſphemia, & nihilominus ponitur hic tamquam in ſuo proprio loco, cùm ſit contra venerationem Sanctiſſimi nominis Dei, quæ cùm ſit pariter verus actus Religionis, totum illud, quod illi opponitur, pariter Religioni opponitur; cùm hoc tamen qnod non opponitur Religioni, ut ſic in abſtracto, ſed Religioni tamquam venerativæ Sanctiſſimi Nominis Dei. Undè mirum non ſit, ſi aliqui, ut diximus, tractent de hac in primo Præcepto, confundendo actū particularem Religionis ſupradictum cum Religione in communi. Maſtrius *diſput.* 11. *quæſt.* 3. *artic.* 1. Ut procedamus igitur majori claritate poſſibili, hunc ordinem ſequamur.

Pro reſponſione igitur dubii propoſiti priùs ſciendum eſt, quòd blaſphemia, ut aſſerit D. Thomas 2.2. *quæſt.* 13. *art.* 1. ſecundùm ſuū propriū ſignificatum dicit quamdam derogationem, ſive ablationem alicujus excellentis bonitatis, & peculiariter alicujus perfectionis, ſive attributi Dei, qui eſt eſſentia ipſiuſmet bonitatis. Blaſphemare igitur (ut aſſerit Angelicus ibi ſupra ſecutus D. Patrem Auguſtinum *lib. 2. de morib. Manichæorum cap.* 11.) eſt negare aliquid, quod Deo debetur, aut aſſerere, & affirmare aliquid de Deo, quod ipſi non debetur. Hæc blaſphemia dividitur ab Angelico Doctore, & aliis in blaſphemiam internam, quæ fit voluntate, affectu, aut intentione; & in blaſphemiam externam, quæ ore pronunciatur, aut ſcripto exprimitur.

Secundò, utraque blaſphemia poteſt eſſe immediatè contra Deū (quæ dicitur blaſphemia propria, & perfecta, & reducitur ad peccatum infidelitatis, & ſic dicitur hæreticalis) vel poteſt eſſe mediatè contra eumdem Deum, & eſt,

quan-

Digitized by Google

quando fit contra Sanctos: dum laudes, aut vituperia de Sanctis ſemper redundant in laudem, aut vituperium Dei, cùm Deus ſit Auctor Sanctorum, quia ſua gratia illos ſanctificavit. Sotus *lib.8. de Iuſt. quæſt.2. artic.* 3. Bonaccina, Layman, & alii.

Poteſt etiam eſſe blaſphemia mediata, aut indirecta contra Deum maledicentia contra Creaturas, quando maledicens illas conſiderat tamquam Dei Creaturas, non tamquam tales res ut ſic: quia maledicendo hoc modo, ſive ut meliùs dicam, ſecundùm ſimplicem conſiderationem talis rei, non verò Creaturarum Dei, quāvis ſit peccatum mortale, aut veniale, prout infra dicemus, non eſt blaſphemia. Sylveſter, Soto, Clavis Regia, Azorius, & alii. Hoc præſuppoſito.

Blaſphemia ex genere ſuo, ut dicit Angelicus 2.2. *quæſt.* 13. *artic.*2. eſt peccatum graviſſimum, & enorme: Sed ſi non ſit debita advertentia, quòd ſit verè, & propriè blaſphemia, non eſt peccatum aliquod, & ad ſummum veniale. Si verò è contra non ſolùm aliquis blaſphemaret cum dicta advertentia, ſed crederet etiam pertinaciter illud, quod affirmat, aut negat de Deo; hoc eſt, quod Deus habeat ſanguinem, aut corpus, ſivè quod Deus non ſit juſtus, miſericors, & ſimilia, hic talis non ſolùm eſſet blaſphemator, ſed formaliſſimè hæreticus. Suarez, Sanchez, Rodriguez, Azorius, & alii.

Peccat igitur contra hoc Præceptum qui blaſphemat contra Deum modo ſupradicto, auferendo à Deo id, quod illi convenit, aut tribuendo illi id, quod non debetur. Item ſi tribuatur Sanctis, aut cuilibet aliæ Creaturæ illud, quod ſolius Dei eſt: ut eſſe Omnipotēs, infinitum, immenſus, & ſimilia. Lazzarius, Leſſius, & Suarez, quos ſequitur Bonaccina *tom.2. diſput.*3. *quæſt.*8. Et tamen benè advertendum, quòd non ſufficit jocoſitas, hoc eſt, pronunciare ſupradicta per jocum ad excuſandū peccatum blaſphemiæ, dum ſecundùm realitatem etiam hoc modo blaſphematur, & conſequenter graviter peccatur, quando cognoſcitur, quòd id, quod pronūciatur, eſt vera blaſphemia: ſicuti non excuſat nec peccatum, nec gravitatem illius jocoſitas in pronunciando mendacium: eo quòd ſi aliquis juret mendacium, quamvis per jocum, peccat mortaliter, prout aſſerunt communiter Caſuiſtæ.

Pro ultimo complemento hujus dubii advertendum eſt, quod peccatur etiam peccato blaſphemiæ, quando aliquis elicit actum deſperationis, ſive obſtinationis in peccando animo, & voluntate firma de non reſipiſcendo, determinando ille talis ſe velle mori impœnitentem, quod dicitur à Theologis peccatum contra Spiritum Sanctum: quia ſicuti peccata fragilitatis dicuntur peccata contra Patrem, illa ignorantiæ peccata con-

contra Patrem, illa ignorantiæ peccata contra Filium, cujus propria eſt Sapientia, ita peccata malitiæ ſunt contra Spiritum Sanctum, cujus propria eſt bonitas, ut notat Maſtrius *diſput.*11. *qu.*3. *art.*1. ſequens Magiſtrum Sententiarum. 2. *diſtinct.* 43. & Scotum 2. *diſtinct.* 43. *quæſt.* 1. *littera D.* Hæc peccata dicuntur malitiæ, nõ quia alia non habeant ſuam malitiam, à qua dicuntur mala: ſed quia habent aliquam peculiarem pravitatem; qua fortaſſe non poteſt dari major; unde per antonomaſiam dicuntur peccata malitiæ. Immo dicuntur peccata irremiſſibilia, non quia, cùm habeant conditiones debitas, non poſſint remitti, & condonari à Deo, & de facto condonentur ut alia; ſed quia conſiderata ut talia peccata, quæ continent in ſe impœnitentiã finalem (hoc eſt, quòd illi, qui ſunt talibus culpis infecti, non curant, nec volunt illorum emendationem, nec ab illis per veram pœnitentiam cum debito dolore liberari) dicuntur talia: quia conſiderata ſimpliciter ſecundùm ſe tamquam peccata, ſi aliquis illa diceret, & vocaret irremiſſibilia, eſſet manifeſtus hęreticus: cùm nõ ſit peccatum aliquod quamvis grave, & enorme, quod non poſſit remitti, & condonari. D.P.Auguſtinus de Fide ad Petrum, Aſteſanus *lib.*2. *tit.*90.

Undè colligitur, quòd ſi committatur, ut ſupra dixi, ſimile peccatum contra Spiritum Sanctum ore proferendo impius, quòd propriã ſalutẽ deſperet, quia Deus non poteſt illud condonare, quare vult in peccatis eſſe obſtinatus; eſt blaſphemia externa, auferendo externè tertiæ Perſonæ Divinę bonitatem, aut miſericordiam, per quam condonatur à Deo quodlibet peccatum: quod ſi non pronuncietur, ſit implicitè ſimili actu peccatum blaſphemię internæ modo ſupra explicato. Maſtrius *loc. cit.* Sylveſter *verb. Blaſphemia*, Suarez, Sanchez, Filuccius, Azorius, Orbellius, & alii communitèr.

## DUBIUM III.

### *Quomodo peccetur contra Votum.*

IN eodem Præcepto ſecundo, in quo tractatur de Iuramento, & de Blaſphemia, debet paritèr tractari de Voto, cùm tranſgreſſio ipſius ſimilis ſit duobus ſupradictis, prout colligi poterit ex his quæ infra dicentur.

Ad videndum igitur, quomodo peccetur contra Votum, priùs neceſſe eſt examinare quid, & quotuplex ſit Votum. Votum igitur definitur à Divo Tho.2.2. *quæ.*88. *art.*1. & 2. Promiſſio deliberata facta Deo de aliquo meliori bono. Primò dicitur promiſſio deliberata, quia non ſufficit, quòd ſit ſimpliciter actus voluntatis, qui vocatur Propoſitum: ſed ulteriùs neceſſe eſt, quòd ſit voluntas firma,



Digitized by Google

& determinata ſe obligandi ad illud, quod vovens vult facere. Unde ſi aliquis promitteret Deo aliquid non animo vero obligandi ſe, non eſſet Votum. Abbas Senior *in cap. Litteraturam de Voto*, ut refert ibi Abbas Iunior, & Azorius *lib. 9. cap. 9.* & in hoc requiritur talis advertentia, & deliberatio, ut ſi aliquis v. g. eſſet ebrius, cùm præviderit, quòd ebrietas poſſet eſſe cauſa, ut aliquod votũ faceret v. g. non bibendi amplius vinum, & ipſe dum actualiter eſt ebrivs, faceret ſimile votum; non teneret, nec obligaret, non obſtãte quòd hic talis in ſimili caſu peccaret mortaliter, ſi antecedenter prævidit, quòd ebrietas erat ſibi occaſio proxima peccãdi mortaliter, & in eadem ebrietate commiſiſſet actionem peccaminoſam, ut ſuo loco diximus, juxtà communem ſententiam Theologorum, & Caſuiſtarum. Itaque in omnibus illis contingentiis, & caſibus in quibus aliquis eſt perfectè liber cognoſcendo, & operando perfectè illud, quod operatur, ſi Votum emittat, tenet; aliter non. Et hoc provenit ex onere magno, & obligatione, quam habet Votum. Vide Sanchez *lib. 1. diſput. 8. nu. 23. de Matrimonio*, & Bonaccinam *tom. 2. diſp. 4. quæſt. 2. punct. 1.*

Secundò, dicitur facta Deo: quia cùm Votum ſit actus veræ Religionis, aut Latriæ, ſoli Deo debetur. Et quamvis Sanctis vota Voveantur, intelliguntur facta Deo in honorem illorum Sanctorum, quibus emittuntur, ita, & taliter quòd ſi aliquis Votum faceret alicui Sancto, nullo modo intelligens Deo factum; Votum non teneret, & peccatum grave committeret, auferens cultum Deo, qui illi debetur, & tribuẽs, cui non debetur, videlicet Sancto; dum actus, aut cultus Latriæ ſoli Deo, & non Sanctis debetur, proùt habetur in primo Præcepto Decalogi dub. 1.

Tertiò dicitur, De aliquo bono meliori: quià nequit fieri votum niſi de aliquo, quod ſit bonum, & non malum, aut peccaminoſum. Navarrus, Toletus, Sanchez, & Leſſius, & Angles 4. *Sententiarũ in floribus part. 2. quæſt. de Voto*. immò neque fieri poteſt de aliquo, quod non ſit neque bonum, neque malum, quod vocant Theologi actum indifferentem: ſed ſimpliciter bonum, ſive ſit de Præcepto, ut jejunare in quadrageſima, ſive de conſilio, ut jejunare in aliqua peculiari die, quod Eccleſia non præcipit, in honorem Beatiſs. Virginis, aut alterius Sancti. D. Tho. 4. 4. *diſtinct. 38. quæſt. 1. art. 1.* & Doctores communiter. Immò non ſufficit, quod ſit res bona, ſed debet eſſe melior. Et ſignificat, quòd emittendo aliquis votum bonum faciendi, quod impedit aliud, quod etiam bonum ſit, non tenet votũ, niſi in caſu quod hoc, de quo ſit votum, ſit melius alio, de quo votum non ſit. Azorius *lib. 11. cap. 14. quæſt. 6.* v. g. nequit fieri votum nubendi: quia hoc votum impedit Vir-

Digitized by Google

Virginitatem, & Caſtitatem, quæ meliores Matrimonio ſunt; non obſtante quòd Matrimonium ſit per ſe ipſum valdè bonum ſicuti ex oppoſito votum fieri poteſt de Virginitate, & caſtitate ſervanda, quia quamvis impediat matrimonium quod bonum eſt, nihilominus illud eſt bonum valdè melius iſto.

Votum dividitur primò in votom perſonale, reale, & mixtum. Primum illud eſt, per quod Deo promittitur ab aliquo aliquid facere. V. g. jejunium, orationes, & ſimilia, vel non facere, ut non ludere, non tranſire per illam viã. non ire ad illum locum &c. Secundum quando Deo promittitur actio aliqua externa facienda per pecuniam, aut per aliud pretioſum, ut ſi aliquis votum emitteret faciendi aliquam elemoſynam, vel aliquod donum alicui Eccleſiæ, aut Cappellæ. Tertium eſt, quando promittitur aliquid, quod continet in ſe utrumque, ut v. g. peregrinatio, aut viſitatio loci ſancti, infirmorum, & ſimilium cum onere faciendi aliquam elemoſynam illi loco, aut infirmo, qui viſitandus eſt. Differentia utriuſque eſt quod obligatio voti realis, & mixti aſtringit non ſolùm voventem, ſed etiam hæredes poſt mortem ipſius, perſonale verò obligat ſolum voventem, ut colligitur ex capite. Parte de Cenſibus, & communiter Doctores.

Secundò, dividitur votum in abſolutum, & conditionatum. Abſolutum eſt illud, quod fit abſque ulla conditione: Conditionatum verò illud eſt, quod ſit aliqua cõditione, ita ut illa non adimpleta nolit votum vovens obligare ſe ad promiſſum. V.g. ſi aliquis promitteret, ſe facere velle aliquam elemoſynam, ſi liberetur ab aliqua infirmitate; ita communiter. Advertendum eſt tamen, quòd non debet, nec fieri poteſt ſimile votum cum aliqua conditione, quæ deſtruat, & nullum reddat votum ipſum: ut v.g. ſi aliquis votum faceret hoc modo. Ego promitto, me Religionem ingreſſurum, ſi per hanc promiſſionem, aut votum non obliger ad Religionem ingrediendam. Vel ponat aliam conditionem, quæ ſit contraria, & incompoſſibilis cum bono promiſſo. V. g. ſi aliquis votum faceret, ingrediendi Religionem cum hac conditione, quòd poſſit apud ſe retinere tamquam proprium annuum redditum. Et ratio eſt, quia utraque conditio prædicta reddit votum nullum; nam primum votum deſtruit ſe ipſum, cùm idem ſit, ac dicere: Votum voveo, ſed votum non facio. Quod ſi fiat cũ debita advertentia, peccatum grave eſt, cum per hoc Deus contẽnatur: Secundum verò deſtruit eſſentiam boni, quod promittitur, commutando illud de bono in malum: dum conditio oppoſita eſt penitus contraria dicto bono, & conſequentèr deſtructiva illius, & venenum aliquod quod illud per-



Digitized by Google

mutat de ſalubri in perniciosum : ſicuti apparet in allato exemplo illius, qui votum emittit ingrediendi religionem cum hoc quod retineat apud ſe tamquam propriam dictam pecuniam : quia proprietas eſt oppoſita paupertati religioſæ eſſentiali, ut videbimus. Bonaccina, Toletus, Maſtrius *diſput.* 11. *quæſt.* 3. *art.* 3. & alii communitèr.

Tertiò dividitur in votum expreſſum, & votum tacitum. Primum eſt, quod expreſsè fit verbis. Secundum verò, quod quamvis non fiat verbis claris expreſsè, fit nihilominùs implicitè, & tacitè volens aliquis illud, cum quo ſcit eſſe connexum votum aliquod e.g. qui ordinatur in Subdiaconum, ſcit quidem huic ordini annexum votum caſtitatis, ut ait Bonaccina *tom.* 2. *diſput.* 4. *quæſt.* 2. *punct.* 2. & alii communitèr. Dum igitur hic talis ordinatus eſt Subdiaconus; quamvis non emittat expreſsè votum caſtitatis verbis, nihilominus illud emittit implicitè amplectendo illum Ordinem, cum quo præfatum votum annexum eſt.

Quartò dividitur votum in votum ſimplex, & ſolemne. Primum eſt illud, quod fit abſque ulla ſolemnitate, ſed in privato ab aliquo emittitur. D. Thomas, Cajetanus, Azorius, Leſſius, Maſtrius, & alii paſſim. Secundum eſt illud, quod fit ſolemnitèr in loco publico cum ritibus particularibus à Sancta Eccleſia ad hunc finem inſtitutis. Hoc autem ſunt vota emiſſa in ſolemni profeſſione ſua à Religioſis, & Monialibus, per quę penitùs tollitur quodlibet aliud votum incompoſſibile cum ipſis, ſicuti etiam ab illis, qui ordinantur in Subdiaconatum, ut diximus, cum hac tamen differentia, quod à Religioſis expreſsè emittuntur, à Sudiaconis verò tacitè emittitur ſuum votum, ut dictum fuit. Ità communitèr Doctores. Hoc autem ſufficiat in ordine ad definitionem, & diviſionē voti, quod ſi tranſgrediatur eo modo, quo fuit ſuprà definitum, & diviſum, ſemper mortaliter peccatur exceptis tamen ſequentibus caſibus.

Primò ſi illud, de quo fit votum, eſt res mala; quia ſicuti dictum fuit ſupra materia voti, hoc eſt res, quæ promittitur, ſemper debet eſſe bona : immò ſi aliquis votum emittat de re mala, peccat, & toties paritèr peccat, quoties exequitur illud, quod promiſit dicto voto. Cajetanus 2.2. *quæſt.* 88. *art.* 2. Item ſi eſt res impoſſibilis, dum de re impoſſibili nequit fieri votum, cum ad impoſſibile nemo teneatur juxta commune affatum. Immò ſi aliquis votum emiſit de aliqua re, quam tempore, quo votum emiſit, putabat ſibi poſſibilem poſtea verò vidit, non eſſe talem, ſed ſibi omninò impoſſibilem, non tenetur illud ſervare. Sanchez *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 8. A quo infertur, quod quamvis filius, qui votum emiſit, non peccet (Quod ſimili-

tèr

tèr dicendum eſt de famulo, de muliere conjugata, & de quolibet alio, qui ſit ſub poteſtate, & dominio aliorum) contraveniendo voto emiſſo in illis rebus, quæ contrariæ ſunt obligationi ſubditi, peccat tamen, ſi contraveniat in illis, quæ ſunt conformes, & compatibiles cum eſſe ſubditi. Et ratio eſt, ut optimè habet Maſtrius *quæſt.3.art.3.* quia ſubditi, cum omnes non ſint Domini ſui ipſius, non poſſunt exequi illa, quæ promittunt, ſi contraria ſint proprio ſtatui ſubditi, qui ut talis non poteſt illa facere, quæ neceſſariò dependent ab aliorum arbitrio, ità ut orationes & ſimilia, quæ aliàs dependent ab arbitrio ſuo, quando illa impediant, quæ dependent ab arbitrio aliorum quibus ſubduntur, nullo modo peccarent, illa non faciendo, quãvis de ipſis votum haberent. Ut habetur cap. Scriptura de voto. Et hæc eſt ratio, quare ordinariè loquendo non tenent vota emiſſa à talibus abſque licentia aliorum: quorum dominio vivunt ſubiecti. Quamobrem Confeſſarius debet eſſe valdè cautus in examinando pœnitentes, ſi ipſis caſus ſimiles in Confeſſione occurrant.

Secundò non peccat, qui votũ tranſgreditur de re vana emiſſum, hoc eſt quæ neque bona, neque mala eſt. quæ dicitur indifferens, ut ſuprà diximus. Navarr. *cap.12. num.37.* Nam votum de re ſimili non ſubſiſtit ob rationes ſupradictas, Undè ſi aliquis ex eo, quod tranſeundo per aliquam viam inciderit in aliquam foveam, per quod aliquod grave damnum ſibi provenerit, votum emitteret per eamdem viam ſe in poſterum non tranſiturum, votum non teneret; quia tranſire per illam viam non eſt neque bonum, neque malum. Quòd ſi aliquis tranſeundo per aliquam viam expertus eſt, quod ille tranſitus ſibi fuit occaſio lapſus, & ruinæ ſpiritualis; tunc quia res mutatur, & non tranſire per illam viam, de eſſe indifferenti mutatur in bonum, ex eo quòd malum grave impediat; votum emiſſum de non tranſeundo in poſterum per illam tenet, & obligat ad culpam gravem in caſu tranſgreſſionis. Bonac. *tom.2. diſp. 4. quæſt.2. punct.4.*

Tertiò, ſi aliquis votum tranſgrederetur de re bona de ſe emiſſum, mala tamen ratione finis, qui malus eſt, non ſolùm non obligaretur ad obſervantiam illius, ſed illud obſervando graviter peccaret: dum ut jam dixi, votum debet eſſe de re bona, non autem mala. A quo ſequitur, quòd ſi Titius votum emitteret Religionem ingrediendi, ut ſuum inimicum occideret, non ſolùm non peccaret non obſervando dictum votũ, ſed peccaret obſervando: quia quamvis Religionem ingredi ſecundum ſe conſideratum ſit optimum: nihilominùs cùm finis peſſimus ſit, inficit illam actionem, mutando illam de optima in peſſimam. Immò emiſſio ſimilis voti

non

mon ſolùm nulla eſt, ſed eſt peccatum grave. Ita Sancti Patres, & Doctores uniformitèr. Alii caſus poſſunt facilitèr deduci à ſupradictis.

## DUBIUM IV.

### *Quænam ſint vota ſolemnia, & quomodo contra ipſa peccetur.*

VOta ſolemnia conſueta tria ſunt: hoc eſt Votum Obedientiæ, Votum Caſtitatis, & Votum Paupertatis. Sunt nihilominùs Religiones aliquæ, inter quas locum habet mea; quæ addunt quartum Humilitatis, & Moniales, quæ omnes, exceptis illis, quæ dicuntur Oblatæ, ultra tria conſueta vota ſupradicta addunt votum perpetuæ Clauſuræ. Hæc vota ſolemnia fieri non poſſunt ante annum decimum ſextum cõpletum, cum ità definitum ſit à Sacro Concilio Trident. *Seſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regu.aribus*.

Votum Obedientiæ eſt actus, quo aliquis obligatur ad totum illud exequendum quod præcipitur à regula, aut Conſtitutione Religionis, quam profitetur, vel à Superioribus illius, in illis tamen rebus, quæ conſiderabiles ſunt pro manutentione ejuſdem Religionis, Ita Sancti Patres, & Doctores communitèr.

Notandum tamen eſt, quod non omne præceptum ſimplicitèr religioſum obligat ad culpam gravem, ſed tantum illud, quod aliquo ſigno externo oſtẽdit præcipere per Obedientiam. Quare fieri ſolet voce vel ſcripto juxta diverſitatem legum, aut Conſtitutionum præceptum, quod dicitur formale, per quod ſubditus optimè cognoſcit, quod ſuperior non habet de eo quod præcipit ſimplicem velleitatem, ſed abſolutam, & determinatam voluntatem: & cum dictum ſignum non ponitur, Religioſus non peccat, ſaltem mortalitèr, non obediendo. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 186. *art.*9. Cajetanus, Salonius, & Bannes ibidem, Sanchez, Filuccius, & alii apud Bonaccinam. Dixi ſaltem mortalitèr, quia ſunt aliquæ Religiones, inter quas mea reperitur, quæ declarant ſe non obligare ad culpam, quando non explicant modo ſupradicto; hoc eſt ſi non præcipiunt ſub præcepto formali, ſive in voce, ſive in ſcripto, mea tamen ſolum in ſcripto, & his verbis, in virtute Spiritus Sancti, Sanctæ Obedientiæ, & ſub formali præcepto: ut videre eſt 1. *part. cap.* 5. *num.* 4. In quo caſu non ſolum per tranſgreſſionẽ non committitur culpa gravis, ſed neque venialis: quando tamen dicta tranſgreſſio non fiat per contemptum cum advertentia: quia in ſimili caſu non eſt culpa venialis, ſed etiam mortalis; quamvis ſit abſque, dicto præcepto formali ſupra explicato, dummodo non excuſet inadvertentia, aut ignorantia inculpabilis. Azorius *to-*

*mo* 1.

Digitized by Google

*mo* 1. *lib.* 12. *cap.* 12. *quæſt.* 1.

Solent graves Doctores aſſignare pro manifeſto indicio præcepti formalis taciti, ſi non expreſſi pœnam, aut cenſuram. Itaque volunt, quod quamvis regula, Conſtitutiones, vel ſuperioris præceptum nõ exprimant ſignum ſupradictum in antecedenti paragrafo, ſi addatur dicto præcepto cenſura, aut pœna imponi ſolita gravibus trangreſſionibus hujus voti, intelligatur verum præceptum formale, vide Maſtrium *diſput.*14. *quæſt.*1. *art.*3. *num.*26. Ego tamen me remitto in decidendo hoc puncto ſententiæ probabiliori, & communiori, cum non deſint firmæ rationes pro parte oppoſita. Verum quidem eſt, nec negari poteſt, quod valde timendum eſt ſimile præceptum non ſolùm à Religioſo bonę, & timoratæ Conſcientiæ, qui maximi facit, & timet quodlibet quamvis minimum præceptum, ſed etiam ab illis, qui non vivunt ſumma circumſpectione ſuarum actionũ, immò ſatis negligentèr, & inconſideratè.

Votum Caſtitatis eſt actus humanus, & liber (hoc eſt actus, qui oritur à voluntate non coactè, ſed liberè, externè, ore patefactus, neceſſariò requiſitus in omnibus per quem obligatur vovens non ſolùm ad non conjungẽdum ſe mulieri in Matrimonio, ſed nec etiam ad actus externos habendos, ſicuti nec internos venereos, aut carnis, ut habetur ex Tridentino *Seſs.* 14. *cap.* 9. Unde quilibet Religioſus, aut alius, qui ſimili voto ligetur, ſi ſimile peccatum commiſit, hoc eſt luxuriæ; non ſolùm in confeſſione peccatũ exprimere debet, ſed inter alias circumſtantias ſtatum propriæ perſonœ, ſi pœnitens non ſit alias notus Confeſſario. Lezana *tom.*1. *cap.*5. Toletus *lib.* 4. *cap.* 17.

Votum paupertatis denique illud eſt, per quod aliquis ſe privat tàm externe oretenus, quam internè per actum voluntatis, qualibet re, quam actualitèr poſſidet, aut poſſidere poſſit in futurum, ſive ſit pecunia, ſive aliquod aliud pecunia exſtimabile, & hoc per impulſum Spiritus Sancti, & ex puro amore, & imitatione Chriſti Redemptoris. D. Tho. 2.2. *quæſt.* 186. *art.* 7. Unde peccat mortalitèr contra hoc votum, non ſolum qui retinet tamquam proprium aliquod notabile (Et eſt illud quod poteſt eſſe materia apta ad conſtituendam culpam gravem in qualitate furti, ut dicunt Doctores cõmuniter (abſconditum oculis ſui ſuperioris, ita ut nullo modo velit quod ſit eidem manifeſtum, verũ etiam qui vult illud retinere, & eatenus nõ retinet, quatenus non poteſt. Hinc oritur, quod furando aliquis Religioſus Profeſſus rem pro culpa gravi ſufficientem, duo peccata mortalia committit; vnũ furti, & aliud proprietatis, ut habet Azorius, & alii communitèr.

Hæc autem eſt ratio, quòd nullus Religioſus poteſt apud ſe retine-

tinere abſconditum aliquod peculium, ut de eo diſponat ad ſuum beneplacitum, nec etiam propter ſuas neceſſitates abſque expreſſa, aut tacita facultate ſui Superioris, ut colligitur ex Concilio Tridentino *Seſſ.* 25. *cap.* 2. quæ tunc ſolùm ſupponitur, quando Religioſus reponit dictum peculium in depoſito communi Monaſterii, aut Conventus, conſignando illud deputato Depoſitario, ut factum hoc modo ſuperiori notum, ſi idem ſuperior alitèr non diſpoſuerit de dicto peculio in beneficium commune, poſſit Religioſus prædictus tuta conſcientia inferre quod ſuus ſuperior non ſit contrarius, immò velit, quod poſſit de illo diſponere in ſuis licitis neceſſitatibus. Dixi licitis, quia quamvis ſuperior, non ſolùm tacitè, ſed expreſsè concederet ſuo ſubdito, quod poſſit expendere denarium ſupradictum in rebus, aut impropriis, & ſtatui religioſo indignis, aut ſuperfluis, facultas eſſet nulla immò uterque gravitèr peccaret, cum auctoritas dicti ſuperioris non extendatur ad ſimilem licentiam, & illam concedendo manus teneret ad actionem malã, & peccaminoſam. Navarrus, Valentia, Slvius, Molina, Azorius, Leſſius, Sanchez, Layman, Lezana, *& alii paſſim apud* Maſtrium *diſput.* 14. *quæſt.* 1. *art.* 5. *num.* 43.

Unde nullam excuſationem habet Religioſus ille ſubditus, qui cum non provideatur de ſuo neceſſariò à Monaſterio, ſive Convẽtu retinet apud ſe ſecretò ſummam pecuniæ ad ſibi providendũ. Immò multi Auctores ſubſtinent, quod redditus provenientes vel ex aliquo legato ad favorem alicujus Religioſi particularis factum, vel ex aliis laboribus habitis ab eodem Religioſo, qui à Iure ſunt Conventus ſive Monaſterii, in quo eſt aſſignatus, & fixus, in caſu quo non provideat ſuperior illi de omni neceſſariò, poſsit ipſe tuta conſcientia illis uti, in illis tamen ſolum de quibus non fuit à ſuperiore proviſum: debita facultate expreſſa, aut tacita, ſive interpretativa, quæ conſiſtit in eadem facultate ſi non obtenta, ſaltem juſtè debita Lezana, Maſtrius cum Bartholomæo à San-Fauſto de voto paupertatis *quæſt.* 196. *&* 197. In quo debet bonus Religioſus eſſe valdè circumſpectus, cum facilis ſit fallacia paſſionis, & ſuperior in providendo neceſsitatibus ſuorum ſubditorũ, ut eos reddat immunes ab occaſione peccandi contra tantum votum.

Et tandem benè obſervandum eſt, eſſe tàm rigoroſum hoc votũ, ut ratione ipſius miniſter, aut quilibet alius officialis Religioſus, ad quem pertinet adminiſtratio, & exactio redditũum, aut eleemoſynarum; nec poteſt diſpenſare nec pecuniam nec alia Monaſterii, aut Conventus, niſi in utilitatem ipſius Monaſterii, & hoc cum expreſſa licentia ſui ſuperioris, nec etiam eleemoſynas: & alitèr facien-



Digitized by Google

ciendo, ſi ſit in quantitate, ſive materia ſufficienti, peccat mortalitèr & reſpectivè tenetur ad reſtitutionem procurando, ſi poteſt æquivalens ad beneficium ejuſdẽ Monaſterii, ſive Conventus. Et hoc totum non ſolum ratione voti, ſed etiam præcepti Eccleſiaſtici, prout habetur *cap. Non dicatis* 12. *quæſt.*1. *& cap.* cum ad Monaſterium, & Concil. Tridentino *Seſſ.* 25. *cap.*2. & confirmant Sancti Patres, ac Doctores communitèr cum Azorio *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 11.

## *De Tertio Præcepto Decalogi.*

IN capite vigeſimo Exodi ponitur hoc tertium Decalogi præceptum, & eſt. *Memento, ut diem Sabbati Sanctifices*. Quod juxta Legem Evangelicam Chriſti Redemptoris intelligitur Dominica, & quodlibet aliud feſtum de Eccleſiæ præcepto, ut habetur in Catechiſmo Romano *par.*3. *cap.*4. In hoc præcipitur, ut in diebus Feſtivis omittantur opera laboris, aut ſervilia, & in omnibus, ſe applicet Chriſtianus ad opera ſancta, & Divini cultus. Unde ut videamus, quomodo ſit adimplẽdum hoc præceptum, & quomodò tranſgrediatur, neceſſe eſt priùs examinare, quænam opera prohibeantur in illo, deinde quæ præcipiantur.

## DUBIUM PRIMUM.

### *Quænam opera prohibeantur ratione hujus Præcepti.*

DIes feſtivus duplicitèr intelligi poteſt, hoc eſt vel dies feſtivus ſacer, vel non ſacer. Primus ille eſt, qui inſtitutus fuit à Sancta Matre Eccleſia, hoc eſt ab aliquo Concilio generali, ſive à Summo Pontifice, & tunc eſt univerſalis feſtivitas obſervanda ab omnibus fidelibus. Sive inſtitutus eſt ab Epiſcopis, & tunc eſt feſtivitas tantùm obſervanda in tota Diœceſi illius Epiſcopi, qui illam inſtituit, quæ eſſe non poteſt de aliquo Beato, ſed de Sancto jam canonizato, cum non habeat Epiſcopus auctoritatem inſtituendi feſtum Beati, ut habetur capit. 1. *De reliquiis, & veneratione Sanctorum*, & cap. finali *de feriis*. Nõ ſacer verò dies ille eſt, qui inſtituitur ab aliquo Principe ſæculari, & eſt quando dictus Princeps benè judicat, & vult, quod in aliquo die non fiant opera aliqua ſervilia eodem prorsùs modo ac ſit in feſtivitate ſacra; & hoc propter ſuos fines particulares. Tranſgredi primum eſt peccatum grave, ultra pœnas temporales: tranſgredi ſecundum non eſt peccatũ ſaltem ejuſdem ſpeciei, ac eſt illud, quod committitur non obſervando feſtum ſacrum; quamvis tranſgreſſor incurrat pœnas impoſi-

poſitas à ſuo Principe. Bonaccina *tom. 2. diſput. 9. quæſt. unica puncto 1. num. 6. Silveſt. verbo Dominica quæſt. 1.*

Hoc præſuppoſito neceſſe eſt videre, quodnam opus intelligatur pro ſervili prohibito in die feſto ſacro, non ſolùm à Sancta Eccleſia, verùm etiam à Deo in Levitico *cap.* 23. Hoc non poterit benè examinari niſi priùs videamus, quomodo dividuntur à Doctoribus opera ſervilia. Dividũtur igitur in opera ſervilia Animæ, & in opera ſervilia corporis. Prima ſunt illa, quæ quamvis corpore fiant, veriùs dicuntur fieri anima; quia requirunt ſpeciali modo attionem, & applicationem potentiarum dictæ Animæ, & peculiaritèr intellectus, & memoriç. Hæc autem ſunt legere, ſcribere, docere, diſputare, prædicare, & ſimilia. Secunda ſunt diviſa: quia aliqua ſunt communia tàm Dominis, quàm ſervis, & tam nobilibus, quàm ignobilibus, ut ludere, cantare, ſonare, iter facere, & ſimilia. Alia verò ſunt propria tantùm famulorum, & perſonarũ ignobilium, ut arare, fabricare, fodere, ſuire, & alia ſimilia artis mecanicæ exercitia. Cajetanus 2.2. *quæſt.* 122. *art.* 4. Bonaccina *loc. cit.* Maſtrius, & alii paſſim.

Hæc ultima ergo ſunt illa, quæ hoc præcepto prohibentur; cum iſta tantùm propriè ſint opera ſervilia: quia propria ſunt ſervorũ, & veram ſervitutem oſtendunt, & conſequentèr ea facere in die ſacro feſti ut ſuprà, peccatum eſt grave. Nec excuſat dicere, quod fiant recreationis cauſa, nam hoc motivum non mutat naturam operis ſervilis à præcepto prohibiti, ut dicunt communitèr ferè omnes Doctores.

Ultra ſupradicta prohibentur etiam per hoc præceptum mercaturæ, hoc eſt vendere, & emere res illas, quæ poſſunt vendi, & emi in diebus non feſtivis exceptis illis quæ pertinent ad victum neceſſarium illius diei. Ab Eccleſia cap. ut refert Toletus *lib.* 4. *cap.* 24. Prohibentur etiam actus forenſes, aut judiciarii, per quos deciduntur cauſæ tam civiles, quã criminales, & tam ſæculares quã eccleſiaſticæ, ut communitèr dicunt Auctores deducentes hoc à Sacris Conciliis, præcipuè ab Arelatenſi ſub Carolo Magno c. 26. & Pariſienſi ſub Gregorio VI. anno 829. & à decretis Summorum Pontificum. Ubi eſt obſervandum primò in ordine ad Mercaturas, quod iſta ſunt in triplici differentia: aliæ, quæ fiunt ſingulis diebus, aut ſemel, vel pluries in hebdomada quamvis non fiant in quolibet die, aliæ, quæ fiunt ſemel, aut pluries in anno, quæ diſiuntur Nundinæ. Hæ ultimæ non prohibentur univerſalitèr loquẽdo, cum dari poſſit caſus quod in aliquibus locis prohibeantur. Sed aliæ ſunt prohibitæ (intelligendo tamen de rebus, non neceſſariis ſupradictis) unde in his diebus, in quibus prohibentur

mer-

mercaturæ, ut dixi, fieri non poſſunt neque publicè, neque privatè contractus, aut negotia emptionis, aut venditionis, locationis, ſeu permutationis &c. cum ſint res omnes pertinentes ad mercaturas.

Secundò in ordine ad actus judiciarios, quòd in diebus feſtivis non poteſt citari, neque examinari Teſtis, dando illi juramentum judicialiter: ſicuti non eſt licitum dare Sententiã, neque illam exequi. Qui actus ſi fiant, præter hoc, quòd ſunt peccata, nullius ſunt valoris, & nulli redduntur. Poteſt nihilominus in dictis diebus excommunicari, diſpenſari, informari (privatè tamen) Iudex, conſultare cum Advocato, aut Procuratore: quia omnia hæc non requirunt rumorem non licitum in ſimilibus diebus, per quem ſunt actus Iudiciarii ſupradicti prohibiti, qui ſecum ferunt neceſſariò ſimiles rumores, ſeu ſtrepitus. Suarez, Layman, Filuccius, & Buſſembau *lib.*3. *tract.*3. *cap.* 1.

Dubitant aliqui de venando, aut piſcando, quando hæc fiant pro lucro: quia volunt, quòd ſupradicta ſint opera ſervilia, & ſic prohibita cum aliis, ita Sylveſter, Angelus, & alii nonnulli. Ego tamen diſtinguo: quia illa aut fiunt ex propria profeſſione, per quam victus procuretur, aut pro recreatione. Si primo modo fiant, fieri non poſſunt in diebus feſtivis: quando tamen fiant pro lucro: quia ſi pro lucro non ſint, puto poſſe fieri. Si verò fiant ſecundo modo, dico cum Toleto *lib.*4. *cap.*24. & aliis; immo cum communi ſententia, quòd non ſit in illis peragendis ſcrupulum aliquod, ſeu dubium culpæ ſaltèm gravis: dummodo non impediant auditionem Miſſæ.

Immo laudabilia ſunt in caſu fugiendi occaſionem alicujus culpæ gravis per illa. Puto tamen laudabile in ſimilibus caſibus cõſulere Confeſſarium, aut alium prudentem, & doctum virum (quãdo tamen vellet aliquis majorem partem diei in ſimilibus recreationibus conſumere) cùm potiùs conſumenda ſit in exercitiis ſanctis, cùm ſit dies cultui Divino dicata. Quamobrem illæ, & aliæ ſimiles recreationes in diebus ſimilibus habitæ abſque neceſſitate difficilè immunes à culpa veniali redduntur: eò vel magis: quando in illis magnus labor corporis habeatur, ita Sancti, Patres ac Summiſtæ paſſim.

Contendunt alii, ut Layman, & Medina, quòd pictura, & ſculptura licitæ ſint in diebus feſtivis, exiſtimantes, quòd ſint inter alias artes liberales poſitæ: ſententia tamen magis communis illud negat: quia ordinariè loquẽdo fiunt propter lucrum proprium, & in alterius utilitatem, ſeu ſervitium, & conſequenter opera ſervilia ſint, quæ, ut vidimus, prohibita ſunt. Unde ſi aliquis pingeret, aut ſculperet (& idem dicitur de opere vario contexto, & ſimilibus)

tantùm pro ſua recreatione, non auderem aſſerere ibi eſſe peccatũ, ſalva tamen in hoc meliori ſententia, & opinione, cui me libenter remitto. E contra verò tripudiare, ſeu ſaltare, ſonare, canere, & ſimilia, tamquam artes verè liberales, & ex natura ſua habitæ pro recreatione, & non in alterius ſervitium, licita ſunt. Salonius 2.2. *quæſt.* 64. *controv.* 1. *concluſ.* 3. ubi refert Sylveſtrum, Armillam, ac Bonaccinam, Azor. Reginald. & alii.

Excuſantur tamen à culpa illi, qui aliquod opus ex ſupradictis prohibitis efficiunt, vel ob brevitatem temporis, quod ponitur in illis faciendi (ut v.g. hora, ſive hora cum dimidia) ſive ratione neceſſitatis inevitabilis, aut publicæ, aut privatæ illius, qui dictum opus efficit. Quod evenit, quando niſi dicta opera fiant in die feſtivo evenire poteſt damnũ aliquod notabile, vel alicui communitati, vel alicui particulari perſonæ, ut ſupra. Quamvis in ſimilibus caſibus meliùs ſit ad ſe eximendum à ſcrupulo totum facere cum licentia Superiorum, ad quos pertinet, aut de conſilio Confeſſarii, prout advertit Cajet. Suarez, Navarr. Clav. Reg. Sor. Bonac. Layman. Item excuſantur, ſi opera ſimilia exerceant in dictis diebus ex motivo charitatis erga ſuum proximum (& eſt quando fiunt in diebus feſtivis ad evitandas expenſas pauperum propter quos fiunt) ita Bonac. Tolet. & alii. Excuſantur denique ob diſpenſationem propriorũ Epiſcoporum, aut ſuorum Vicariorum, & in eorum abſenria ex diſpenſatione Parochorum, & etiam Superiorum Regularium. Tolet. Maſtr. & alii. Et hoc ſufficiat pro notitia operum prohibitorum in diebus feſtivis. Advertendum tamen, quod in idem peccatum incurrit non ſolùm qui efficit opus, verùm etiam qui illud præcipit. Ita Doctores communiter.

## DUBIUM II.

### *Quænam ſint opera illa, quæ fieri debent in diebus feſtivis.*

QUoniam diem feſtum ſanctificare conſiſtit principaliter in operibus bonis, & ſanctis exercendis: viſo in antecedenti Dubio quomodo peccetur opera prohibita faciendo: neceſſe modò eſt examinare quomodo peccetur contra hoc præceptum opera bona ſupradicta non faciendo. Quod notum fiet habita notitia de operibus præceptis in dictis diebus.

Opus igitur, quod unicè præcipitur, eſt audire Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ab illis, qui Sacerdotes non ſunt, cùm ad uſum rationis pervenerint, & ab iiſdem Sacerdotibus, qui in dicta die nollent Miſſam celebrare, ut habetur de Conſecratione *dist.* 1. *cap. Miſ-*

*ſas*,

Digitized by Google

*ſas*, & eadem diſtinctione *cap.Omnes fideles*, & *cap. Si Quis etiam*.

Duo requiruntur ad hoc præceptum adimplendum: hoc eſt præſentia moralis,& humana,quæ requirit non ſolùm præſentiam perſonæ, quæ dicitur phyſica, verùm etiam debitam advertentiã, per quam cognoſcat,& velit præcepto ſatisfacere, volens ſe eſſe præſentem cum omnimoda attentione poſſibili illi Sanctiſſimo Sacrificio. Unde ſi aliquis Miſſam inciperet audire in vigilia, & poſtea dormiret, cognoſcendo priùs propenſionem ſe habere ad dormiendum, & dormire vellet non obſtante quòd poſſet dormitionẽ impedire, hic talis præcepto non ſatisfaceret, & conſequenter mortaliter peccaret ob defectum præſentiæ non phyſicæ, ſed moralis, ſeu attentionis neceſſariæ: dum non poſſumus attentionem Sacrificio habere dormiendo. Item ſi aliquis legeret librum aliquem, qui illum prorſus diverteret ab attentione ſupradicta, vel aliud opus ſimile exerceret, ut v.g. cum aliis loqui, ludere, & ſimilia, ſeu applicaretur omnino ad negotia cum plena advertentia. Notandũ tamen hìc eſt, quòd omnia ſupradicta ſi non diſtrahunt, vel à toto Sacroſancto Sacrificio, vel à notabili illius parte: communiter Auctores ſuſtinent, quòd non impediant ſatisfactionem præcepti. Et denique eadem attentio, quam diximus ſupra requiri pro recitatione Officii Divini in dubio ultimo primi præcepti, requiritur ad ſatisfaciendum huic præcepto in eodem ſenſu, & modo ibi explicato, reſpectivè tamen. Coninch. Vrtad.Diana,Leſſius,Lugo,Tamburrin. Layman, D.Antonin.Durand. Sylveſter,Medin. Enriquez, & alii communiter.

Aliùd,quòd requiritur,eſt,quod audiatur tota Miſſa: quod communiter intelligitur ſecundùm probabiliorem ſententiam ab initio Epiſtolæ uſque ad Benedictionem, juxta Canonem 47. Concil. Agatenſis, & *cap. Cùm ad celebrandas, diſt.*1. Nota hic tandẽ, quòd quamvis non obligentur, laudabile tamen, & conveniens videtur,quòd Parochiani aſſiſtant Miſſæ parochiali (Parochiani autem dicuntur, qui ſub una,eademque Parochia morantur) ſaltèm uſque dum Parochus notum fecerit populo totum id, quod notum facere debet. Dixi non obligari, intelligendo in caſu, quòd Parochiani ſupradicti non ſatisfecerint præcepto, audiendo aliam Miſsã; aut ſatisfacere velint audiendo aliam poſtea. Toletus Azor. Reginald. Sot. Filuc. & alii.

Excuſantur, & eximuntur ab obſervantia hujus præcepti illi, qui phyſicè ſunt impotentes, hoc eſt, qui ita impediuntur, ut juxta humanam, & naturalem virtutem, & vim, impoſſibile ſit, quòd ire poſſint ad Miſſam audiendam, ut ſunt infirmi, aut carcerati, Itẽ etiam illi, qui moraliter non poſſunt,quamvis phyſicè poſſint:quod

evenit

Digitized by Google

evenit in aliquibus, qui ire poſſunt, vel quia liberum omnino habent ſuum corpus, aut ſaltèm ita habent illud impeditum, ut poſſint cum difficultate ſe movere: nihilominus non poſſunt abſque notabili detrimento, ſive ſpirituali, ſive temporali proprio, aut alterius. V. g. ſi aliquis, ut eat ad Eccleſiam, periculum incurrit mortis; ſive, ſi fœmina ſit, ut violetur ipſius honor: ſive aliquis ad Eccleſiam eundo, ut Miſſam audiat, domi ſuæ relinquat alium, qui ob illius abſentiam periculum ſimile ineat. Tolet. & ferè omnes.

Pro complemento hujus dubii advertendum, quòd præſens præceptum non requirit, quòd Miſſam celebrans videatur, quia etiã cæci poſſunt illud adimplere. Nec etiam quòd audiatur, quia etiam ſurdi poſſunt illi ſatisfacere. Unde verbum illud *audire* intelligendũ, aut ſumendum eſt pro aſſiſtentia; cùm ſimpliciter ſufficiat aſſiſtentia, aut præſentia cum debita attentione ſuperiùs explicata ad Sanctum Sacrificiũ. Verum quidem eſt requiri, ut audiatur, ſeù ut meliùs dicam, ut Miſſæ ſupradictæ aſſiſtentia habeatur, ut jam diximus, integrè, ſed ita ut non ſatisfiat cum aſſiſtentia ad duas medias duorum celebrantiũ, quorum uni tantùm ad primam partem, & alii aſſiſtentia tantùm habeatur ad ſecundam: hoc eſt, poſt elevationem uſque ad finem. (Immo ſententia aſſerens poſſe audiri duas Miſſas eodem tempore, & per hoc ſatisfieri Eccleſiæ præcepto, eſt 53. ex damnatis à Sac. Congregatione die 2. Martii 1679.) Coninc. *num.* 288. *quæ.* 84. *art.* 6. Nungnius *quæſt.* 83. *art.* 6. *dub.* 2. *ad tertium.* Reginald. *lib.* 19. *n.* 26. Molphet. *in ſumma tract.* 3. *cap.* 17. *num.* 36.

Alia opera ſpiritualia, & ſancta, quamvis non præcipiantur, nihilominus ea facere in dictis diebus valde laudabile eſt, & meritorium: nam ſi in omnibus diebus faciendæ ſunt actiones, & opera virtutis; multò magis laudabile, & meritorium eſt illa exercere in diebus cultui Divino dicatis, ut admonet Concilium Tridentinum, ac Sancti Patres, quamobrem oblectationes, ſeu dictorum dierum recreationes, ſunt propriæ orationes, miſericordiæ opera, Eccleſias, & Oratoria viſitare, canere, aut cantus Pſalmorum, & Hymnorum ſacrorum audire, & alia ſimilia exercere.

## *De Quarto Præcepto Decalogi.*

TRia antecedentia Præcepta pertinent ad cultum, & amorem erga Deum: adeòque dicuntur Præcepta primæ Tabulæ. Alia ſequentia, quia proximum reſpiciunt, dicuntur ſecundæ Tabulæ Præcepta, ita communiter. Quia autem proximior, aut nobis proximiores poſt nos ipſos, ſunt genitores noſtri; idem primo loco in-

ter

Digitized by Google

ter dicta præcepta ponitur præceptum honorandi genitores, quod expreſſum reperitur in Exodo *cap.* 20. his verbis. *Honora patrem tuum, & matrem tuam*. Vbi quamvis non ſit expreſſus, neque præceptus amor parentum erga filios, ſed tantùm filiorum erga parentes, nihilominus debet etiam intelligi incluſus in ipſo dictus amor, prout explicant, & ſuſtinēt graves Auctores, inter quos D. Antoninus *part.* 2. *tit.* 14. *cap.* 4. D. Bonavent. 3. *diſt.* 37. *dub.* 4. litterali, Bonac. & alii. Pro intelligentia igitur hujus prçcepti ſimpliciter ſufficiet videre, quid intelligatur in filiis pro honorare parentes. Poſtea verò quid ſit illud, quod requiritur ex parte genitorum erga filios.

## DUBIUM PRIMUM.

### *Quomodo teneantur filii honorare proprios genitores.*

TRia requiruntur, prout declarat & vult Cathechiſmus Romanus, pro filiis ad honorandos proprios genitores, & habetur etiam ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 101. *artic.* 2. hæc autem ſunt Reverentia, Amor & Obedientia. Quoad primum requiſitum, videlicet Reverentiam (quæ requiritur non ſolùm ratione hujus præcepti, verùm etiam ex lege naturæ) in hoc illud conſiſtit, quòd filii debent recognoſcere ſuos genitores, non ſolùm per aliquam recognitionem illorum, tamquam propriorum Superiorum, & per aliquem timorem filialem, qui ſunt actus interni Animæ; verùm etiã per reverentiam externam, quæ exprimitur, & verbis, & ſignis externis reverentialibus erga ſupradictos genitores, loquendo ſemper, & cum ipſis, & de ipſis verbis reverentibus; item eos ſalutando, illis ſerviendo, & exercendo erga illos quemlibet actum obſequii debitum. Ita Navarrus Molphet. Sylveſter, Armill. Reginald. Filucc. & alii. Hinc eſt, quod contumeliæ, irriſiones, & verba contemptus dicta contra perſonas, quæ non ſunt genitores ſæpeſæpiùs non ſunt peccatum grave, dicta autem contra parentes à propriis filiis ſunt materia culpæ gravis. Sicuti etiam ſigna externa facta ab ipſis filiis in contemptum eorumdem, ſi non ex ejus, & ignorantia, aut inadvertentia inculpabili. Hinc oritur, quòd quælibet percuſſio etiam levis, immo ſimplex ſignum percuſſionis, quod factum contra alias perſonas non eſſet culpa gravis, habitum à filiis in parentes graviſſima culpa eſt. Navar. Tamburrin. Clavis Reg. Graſſ. Reginald. Maſtri. Bonaccin. & alii paſſim. Item nolle eos recognoſcere ut parentes in eorum neceſſitatibus, & miſeriis eis ſubveniendo, ſeù accuſare eos apud aliquod Tribunal de re gravitèr præjudiciali, ſive civili, ſive criminali, exceptis

ceptis tamen caſibus hæreſis, & aliorum bonum publicum reſpicientium, omnia ſunt de ſui natura culpæ graves. Tolet. *lib. 5. cap.* 1. Alex. 3. *part. quæſt.* 33.

Quoad ſecundum, quod eſt Amor, tenetur filius ita genitores diligere, ut eos non diligendo, ſed odio habendo, odio tamèn quòd ſit materia culpæ gravis, eſt peccatum ſatis gravius illo habito erga aliud objectum. Unde vult Toletus *loc. citat.* cum Navarro, Tamburrin. & aliis, quòd ſit circumſtantia neceſſariò in confeſſione exprimenda. Ubi advertendum eſt, quòd non ſolùm peccetur coutra hoc præceptum per actum internum odii contra parentes, ut dixi, ſed etiam nocendo illis, vel verbis, vel factis, ut dixi; quia ſunt actus odii externi. Item ratione hujus amoris tenetur quilibet totis viribus bene facere illis genitoribus in caſu neceſſitatis, etiam ſpiritualis, procurando v.g. in caſu infirmitatis non ſolùm, quòd provideantur de victu, & cura pro ſalute corporis, ſed etiam de Sacramentis pro ſalute Animę, & poſt mortem illorum tenentur filii adimplere legata, & curare, ut etiam non propria tantùm, ſed etiam alia eorumdem parentum adimpleantur, & ſuffragare pro ipſorum animabus, quod totum non adimplēdo, filii peccant mortaliter. Reginald. Navarr. Filucc. Bonac. Tolet. Tamburrin. & alii paſſim, ut videre eſt apud Maſtr. *diſput.* 9. *quæſt.* 5. *art.* 1.

In ordine ad tertium, nempè Obedientiam, tenetur filius obedire propriis parentibus in rebus ad bonos mores pertinētibus; hoc eſt in illis rebus, quæ ſi obſerventur, prout præcipiuntur ab ipſis, evenire poteſt bonum notabile ſpirituale ipſimet filio, ſi verò non obſerventur, magnum damnum, hoc eſt culpa mortalis. Ut v. g. quando præcipiunt frequentiam Sanctorum Sacramentorum, audire prædicationes, pergere ad doctrinam Chriſtianam, ad gymnaſium &c. ex obedientia quorum pendet ſalus Animæ propriæ, & ex inobedientia facile periculum propriæ damnationis. Suarez, Clavis Reg. Navarr. Bonac. Cordub. Buſſembau, Azor. Tolet. & alii paſſim. Item tenetur filius obedire illis in eo, quod concernit ad bonum gubernium domus, & conſervationem ipſius in re notabili: hoc eſt in eo ab executione, aut non executione illius provenire poteſt, aut damnum, aut utile dictæ domui. Non tenetur tamèn filius obedire in rebus peccaminoſis. Dum in his non eſt illorum ſubditus, cùm Deus, cui principaliter obedire tenemur, oppoſitum præcipiat: ſicuti nec etiā tenetur illis obedire, quando poſtquam petierit ob certam convenientiam licentiam ab ipſis Religionem ingrediendi, aut uxorē ſumendi, ſi ſit in ſtatu ea exequēdi, hoc eſt, poſt quartum decimum annum in maſculis, & duodecimum in fœminis, ei negaretur

tur ab ipſis dicta licentia, ut habetur ex Canonibus, niſi in caſu, quo ab aliqua ex dictis electionibus ſtatus poſſet notabile damnũ provenire dictis genitoribus: v.g. ſi per dictam electionem conſtituerentur in periculo mortis, vel ad extremam neceſſitatem devenirẽt, ut habet Monsregalis de quarto Decalogi præcepto cap. 4. Eſt etiã hæc dnctrina D. Thomæ 2. 2. *qu.* 101. *art.* 4. advertens ibi Angelicus Doctor, quod poteſt ingredi filius Religionem etiam in ſupradictis caſibus, quando cognoſceretur, quod in ſæculo eſſet periculum ſibi proximum evidẽs culpę gravis inevitabilis extra dictam Religionem; ſed quia in hoc requiritur magna circumſpectio in reſolutione, cum tractetur in hoc de gravi damno genitorum; fieri non debet abſque præmuroſo conſilio.

## DUBIUM II.

*Quænam ſint obligationes Parentum erga ſuos filios.*

PRiùs advertendum eſt, quod ſub hoc nomine parentum comprehenduntur hic non ſolùm genitores, verum etiam Auus, Biſauus cum aliis aſcendentibus, ut habet Maſtrius *diſput. & quæſt.* ut ſupra *art.* 2. Iſti ergo tenentur primò alere filios, aut Nepotes, hoc eſt providere illis de neceſſario ad vivendum, quod conſiſtit non ſolùm in cibo, ſed etiam in veſtimentis, & habitatione, & in omni neceſſariò pro cura, & ſalute recuperanda tempore infirmitatis, totum tamèn hoc conformitèr ad ſtatum, & conditionẽ ipſorum, & pro toto illo tempore, in quo non poſſunt per ſe ipſos provideri de ſupradicto, ad quod tenentur ſub culpa gravi, ita nonnulli Auctores apud Maſtrium loco ſupradicto. Undè peccãt mortalitèr parentes ex ſupradictis Auctoribus permittendo filios in caſu infirmitatis ire ad Hoſpitalia, aut alia loca publica deſtinata pro infirmis, aut ab aliis provideri, qui non ſint domeſtici, ſeu conſanguinei abſque rationabili motivo, ut v.g. ſine extrema neneſſitate, aut paupertate, ſive ex libera, & ſpontanea voluntate eorumdem filiorum. Item quod habeant alimenta extra dictum caſum infirmitatis in aliis locis publicis, aut privatis abſque ſupradicto motivo.

Ad habendam autem notitiam peculiaris, & diſtinctæ obligationis Patris, & Matris erga filios, aſſignant Auſtores hanc differentiam, quod mater teneatur lactare, & cum non poſſit illa ex juſta cauſa aſſignare filio nutricem, quę ſit ſana, & perfecta, & contraveniendo peccat mortaliter. Ita Reginald. Bonac. & alii apud Layman *lib.* 5. *tract.* 10. *part.* 3. *cap.* 5. *num.* 6. Item ſecundum leges *l. ſi quis à liberis ff. de liberis agnoſcẽdis* ad ipſam pertinet cum de illis uſ-



Digitized by Google

que ad annum tantùm eorum ętatis, qua completa quælibet obligatio eſt penès patrem uſque ad emancipationem, hoc verò intelligendum eſt, quando pater ſit facultate præditus, per quam poſſit hoc facere: aliàs obligatio erit matris ſi habeat ſufficientem facultatem, aut aliorum conſanguineorum reſpectivè magis, & minus conjunctorum, & in abſentia horum tenentur patrini. Hoc autem intelligendum eſt, non ſolum de filiis legitimis, verùm etiam de ſpuriis *l. ſi quis à liberis* §. ſi vel parens *ff. de liberis agnoſcendis*. Item pater tenetur dotare filias, aut ut nubant, ſive ut moniales fiant, quamvis dictæ filiæ hoc facerent contra ſuam voluntatem *l. finali cap. de dotis promiſſione*, & Reginald. *lib.* 20. *num.* 39. & 40.

Hinc oritur, quod graviter peccent parentes toto ſtudio, & diligentia non acquirendo bona, quibus poſſint alere filios, & illis providere juxta proprium ſtatum, & conditionem, quod ſi eorum negligentia ammittantur bona, & facultates, per quas dicti filii accommodati remaneant, & multò magis iidemetipſi diſſipant dicta bona cum præjudicio notabili dictorum filiorum. Item ſi negant dotem, aut hæreditatem filiis, aut filiabus abſque legitima cauſa. Quamvis contra eorum voluntatem maſculi Religionem ingrederentur, aut ordinibus ſacris initiarentur, & fœminę nuberent, ſeu moniales fierent. Filiuc. Bonaccina Azor. Reginald. Buſſembau, & alii.

Secundò tenentur dicti parentes ipſos inſtruere, aut inſtrui curare per alias perſonas aptas in rebus neceſſariis ad ſalutem animæ. Unde neceſſariò debent illos docere, aut ut doceantur curare Orationem dominicalem, Symbolum Apoſtolorum, & præcepta Decalogi, & Eccleſiæ Sacramenta, & uno verbo totam Doctrinā Chriſtianam, alitèr gravitèr peccant. Peccant etiam mortalitèr ſcandalizando illos ſuo malo exemplo in rebus gravibus. Item non reprehendendo illos, aut puniendo, quando illos vident peccantes, aut quod ſe exponant in evidens periculum, & occaſionem culpæ præcipuè gravis, quod ſi neceſſitàs ſit quando non juvant verba, adhibeant verberando, quæ verbera moderata ſint, quia ſi ſint taliter excedentia, ut notabiliter offendant, non excuſantur à gravibus culpis. Sot. Bonac. Reginald. Molphet. Sylveſt. Maſtrius, & alii communitèr.

Tertio tenentur ſtabilire familiam, & in aliquo ſtatu collocare, ad quem inclinat, & non aliter. Quamobrem cognoſcendo parentes filios inclinare ad ſtatum Religioſum, matrimonialem, aut liberum, debent juxta eorum deſiderium, & inclinationem procedere, & non ponere illis obſtaculum ſub culpa mortali, niſi in caſu quo cognoſcerent, aut certò ſcirent, quod in illo ſtatu, ad quem in-

inclinant provenire poſſit illis aliquod notabile detrimentum, ſeu ſibi metipſis, aut aliis, & præcipuè communitati notabile præjudicium. Quamobrem Sacrum Cōcilium Tridentinum *Seſſ.25.de Regular. cap.*18. determinat, quod neque parentes, neque alius cujuſcumque conditionis, aut ſtatus ſit, audeat impedire aliquo modo Virginem mulierem, aut viduam, quæ liberè velit monialis fieri, aut ex oppoſito cogat illam, ut monialis fiat, quando ille ſtatus non ſit illius genio conformis, & juxtà propriam electionem, & ſpontaneam ejuſdem ſub pœna excommunicationis.

Quidquid dictum fuit hucuſq; de genitoribus in ordine ad proprios filios Concilium Colonienſe extendit ad omnes alios qui habent ſuperioritatem, aut dominium, tam in ſpiritualibus, quàm in temporalibus cum eodem ſit illorum obligatio erga ſuos inferiores, & ſubditos, & ſubditorum erga Superiores, Dominos & Magiſtros. Unde idem peccatum, quod contrahunt parentes ob incuriam & malitiam in curam habendo propriæ familiæ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus contrahunt reſpectivè omnes alii, qui habent ſuperioritatem, aut dominium, in habenda ſupradicta cura de ſuis ſubditis, aut ſervis, & illum honorem, & reverentiam, quam tenentur obſervare modo ſuperius explicato filii erga ſuos genitores, aut parentes; debent obſervare ſubditi, aut ſervi ſupradicti erga ſuos Superiores, & dominos, prout ſuſtinent communitèr cum ſupradicto Concilio Navarrus, Abellius, Tolet. Bonac. Maſtrius, & Doctores, ac Caſuiſtæ communitèr.

Hoc totum debet ſuo modo intelligi de marito erga uxorem, & uxore erga maritum, ita & táliter, quod maritus, ut Superior ad mulierem tenetur ſub culpa gravi non ſolum illam alere, & providere de omnibus neceſſariis temporalibus, prout dictum fuit ſupra de parentibus in ordine ad filios, ſed concedere illi etiam quamlibet commoditatem opportunam ad exercendas res concernentes ad ſalutem Animæ, & multò magis eas non impedire illi, quando curat eas adimplere. Item non exacerbare illam notabiliter verbis iracundis, aut aſperis, neque gravitèr ilam percutere, quod permittitur marito moderatè tantùm ob correctionem, ſi neceſſitas occurrat, ut v. g. ſi aliquod illicitum committeret, & nollet adimplere illa, quæ in conſcientia tenetur obſervare *l. rei judicate ff. ſoluto matrimonio*. Item eam non derelinquere neq; penitus, neque per longum tempus abſque legitima cauſa ſemper approbanda, ut ſecurus ſit in conſcientia, à ſuo Parocho, aut Patre ſpirituali, ſeu alio Viro docto; Maſtrius, *diſp.9. quæſt.1. art. 2. & alii*.

E contra verò, uxor tenetur ſub eodem peccato obedire marito in omni-

omnibus quæ offenſa Dei non ſunt, & neceſſariò concernunt ad bonum gubernium domus, & familiæ. Unde peccat graviter, ſi in contemptum mariti velit ipſa gubernare domum, quando maritus aptus ſit ad idem gubernium. Item ſi nolit ſequi maritum quo ad domum cohabitando cum illo, quando velit ipſe maritus illam mutare; excepto tamen caſu, in quo evidenter, aut cum magna probabilitate in dicta mutatione periculum ſit propriæ infirmitatis, aut mortis, ſicuti nec etiam tenetur ad hoc quando in contractu matrimonii convenerint de non facienda ſimili mutatione, ſeu quãdo nimis frequens ſit in dictam domum mutando, ſi tempore, quo illam duxit in uxorem, hoc facere non ſolebat, & hoc proveniat ex eo, quod evaſerit vagabundus. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 2. cum aliis pluribus.

## *De Quinto Præcepto Decalogi.*

IN antecedenti præcepto examinavimus illud, quod pertinet ad honorem, qui debetur noſtro proximo, modò neceſſe eſt examinare illud, quod eidem Proximo eſt præjudicii, & damni ad illud fugiendum, & vitandum. Et ut incipiamus à majoribus tractabimus hic de morte violenta, aut alio damno notabili facto in propria perſona tamquam in primo proximo, aut in aliis percuſſionibus, vulneribus, & ſimilibus, quòd præcipuè eſt id, quod prohibetur à Deo cap. 20. Exodi illis verbis, *Non occides*. Hic igitur priùs tractabimus de homicidio, quomodo prohibitum ſit: deinde quando ſit licitum: denique de recompenſatione damni, quod à ſupradicta injuria aliis illata poſſit evenire. Sit igitur.

## DUBIUM PRIMUM.

### *Quid veniat à Deo prohibitum in hoc præcepto.*

TOtum hoc divinitus explicatum fuit à Cæleſti Magiſtro Chriſto Redemptore in illis verbis relatis à S.Mattheo cap.5. *Audiſtis quia dictum eſt antiquis non occides, ego autem dico vobis. Quia omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri ſuo, raca, reus erit concilio, qui dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Ex quibus intelligi debet, & inferri, quod in hoc quinto pręcepto non ſolùm prohibetur homicidium, aut damnum, ut ſuprà diximus, factum externè, opere illud exequendo, ſed etiam internum, hoc eſt illud, quod fit intentione, aut deſiderio, ut advertit Abellius de quinto Decalogi præcepto *ſect.*5. §.1. Unde noſter Divinus Legislator Hæbreis dicere voluit vos ſemper audiſtis, quod nemo ſit occidendus, per quod dictum uſque adhuc crediſtis, quod hoc præceptum tranſgre-

ſgrederetur aliquis ſolùm per mortem opere externo illatam: nunc autem quia veni in terram ad Vobis explicandam legem tamquam Verbum, & Sapientia æterni Patris, dico vobis, quod non ſolùm opere aliquis ſit hujus præcepti tranſgreſſor, verùm etiam intentione, aut deſiderio deliberato occidendi, aut damnum inferendi modo dicto ſuo proximo; irruendo graviter contra ipſum ſive verbis contumelioſis, ſeu injurioſis cum præjudicio notabili ejuſdem honoris, & famæ, ità expoſitores communitèr.

Nihilominùs notandũ eſt, quod in hoc præcepto non prohibetur abſolutè necatio hominis, prout obſervat D. Thomas 1.2. *qu.* 100. *art.* 8. Sed occiſio injuſta, dum duplicitèr poteſt aliquis vita privari, vel quia meretur illa privari ob aliquod grave delictũ; cui eſt debita pœna mortis, vel quia cum aliquis velit ulciſci de injuria ſibi illata, aut ex alio motivo irrationabili illum occidit, ut habent utriuſque juris Doctores. Occiſio facta hoc ſecundo modo eſt homicidium prohibitum hoc præſenti præcepto: quia eathenus prohibetur, quatenus eſt contra rationem juſtitiæ; & ſolum executum ſecundo caſu, non autem primo eſt contra dictam rationem, quoniam in hoc ſecundo aufertur ab homine contra propriam voluntatem majus bonum, quod habeat, hoc eſt vita ſupra quam jus aliquod non habet, aut dominium ille talis, qui illam tollit: quamobrem illam tollendo eſt contra debitum: & conſequenter contra Iuſtitiam, quæ ſicuti, vult unicuique dari, quod illi debetur, ita non vult quod ei tollatur id, quod non debetur tolli, Primo modo non ſolum non eſt contra Iuſtitiam aliquem occidere, ſed magis eſt in favorem ipſius, dum ex delicto commiſſo jus, & dominium, quod jam habebat delinquens in propriam vitam, translatum fuit ad Principem, qui medio ſuo Miniſtro illam ei tollit. Ita diſcurrit Angelicus Doctor ibi ſupra, & cum ipſo omnes Doctores,

Item advertendum eſt, quod ſicuti in hoc præcepto prohibetur homicidium, aut indebita occiſio facta in alia perſona diſtincta ab occiſore; multò magis prohibetur in propria perſona cum non ſit nobis proximior nobis ipſis: & quamvis nos habeamus jus, & dominium vitæ noſtræ, & noſtri corporis; nihilominùs cum ſit dictum dominium impropriũ, prout in omnibus dependens à Deo, qui eſt verus, & propriùs Dominus ipſius vitæ, occidendo aliquis ſemetipſum, agit contra Iuſtitiam ſibi tollendo illud idem quod ſuũ non eſt, ſed Dei. Quare cum non habeāmus nos aliud jus ſupra noſtrum corpus, quàm illud, quod nobis conceſſit Deus abſolutus Dominus ipſius, quod ſolum conſiſtit in cuſtodia rationabili, & diſcreta, non ſolùm ratione hujus præcepti non poſſumus nos ipſos oc-

occidere abſque graviſſima culpa, aut poſitivè ferro, veneno &c: ſed neque negativè, abſtinentiis, aut mortificationibus indiſcretis, à quibus cognoſcat indiſcretus abſtinens, & mortificatus ſe eſſe in evidenti periculo mortis, advertens, quod à dictis mortificationibus ſenſibilitèr, & notabilitèr debilitatur quo ad vires, ita ut morte approximetur. Non intelligitur tamen per hoc prohibita mortificatio carnis ad illam ſubiciendam ſpiritui per obſervantiã Divinæ legis, prout mos erat D. Pauli. Unde ſcripſit, caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ſed quidem indiſcretio illorum, per quam poteſt cauſari, mors, aut ſaltem tale nocumentum ſibi aliquis, quod non poſſit cauſa ipſarum mortificationum, quæ tantùm ſunt de conſilio, ut dicunt Theologi, exequi illa quæ ſunt de præcepto. Quamobrem in omnibus ſupradictis quilibet peccat mortalitèr ſi non excuſetur ab ignorantia aut inadvertentia jam ſæpiùs ſupra repetita. Sylveſter verbo homicidium 1. §.4. D.Tho. 2.2. *quæſt.*147.*art.*1. Cajet. Victor. Layman, Clavis Reg. Diana, Navar. Bonac. Filiuc. & alii communitèr.

Ulterius notandum quod poteſt aggravari homicidium, percuſſio, & vulnus grave, vel quodlibet aliud detrimentum Proximo illatum ita ut ſit peccatum etiam duplex ex circumſtantiis: ut v. g. homicidium, aut vulnus grave habitum in Eccleſia cum effuſionē ſanguinis non ſolum eſt homicidium, verùm etiam ſacrilegium cum ſit in contemptum loci ſacri. Item ſi offenſus ſit ſuperior ex eo quod habeat aliquod dominium ſupra offendentem augetur gravitas peccati ſicuti ſi illi eſt conjunctus in gradu cõſanguinitatis notabilis, ut v.g. ſi ſit Pater, Mater, Avus, Filius, Frater, aut Nepos, & ſemper magis augetur, quantò magis conjunctior eſt gradus cõſanguinitatis, aut affinitatis, quī reperitur inter offenſum, & offendentem. Si verò offendatur modo ſupradicto aliqua perſona Eccleſiaſtica non ſolùm augetur peccatum, ſed etiam ſit ſacrilegium, prout diximus, de percuſſione aut offenſione gravi facta in loco ſancto. Unde in confeſſione non ſufficit confiteri in his caſibus homicidium, aut percuſſionem, ſed neceſſe eſt exprimere circumſtantias ſupradictas ſi ſint. Maſtrius ubi ſupra *num.* 105. Tolet. *lib.*5. *c.* 8.

E contra verò, poteſt dari caſus, quod circumſtantiæ minuant peccatum ſupradictum ita ut remaneat culpa levis, & aliquando non ſit nec etiam umbra culpę e.g. Sempronius inadvertenter, & fortuito in venatione exiſtimans ſe occidere belluam, occidit hominem in hoc caſu ſi ſit negligentia inculpabilis, & levis, eſt culpa venialis ſi notabilis, & culpabilis, eſt peccatum grave, ſi verò adhibuit omnem diligentiam, & fortuito prorsùs, dum erat in actu

pro-

Digitized by Google

proximo occidendi prædam, tranſeat aliquis, & remaneat caſu, loco prædæ occiſus, non eſt ulla culpa, nec etiam levis Tolet. *loc. cit.* Theologi, ac Summiſtæ communitèr. Idem dicendum de ebrio, qui occidit aut ſemetipſum, aut aliũ, ſi tamen priuſquam ebrius fiat, nõ advertit periculum, nam ſi priùs cognovit & advertit periculum, & hoc non obſtante inebriari voluit, hic talis graviter peccavit, quamvis in actu occiſionis ebrius ſit. Si verò prævidit neque cognovit aliquo modo periculum, quamvis peccaverit contra virtutem temperantiæ, gravi peccato gulæ, ut jam ſupra diximus tractantes de boc vitio, non peccavit tamen peccato injuſtitiæ contra hoc prẹceptum. Itaque ſi in primo caſu ille talis graviter peccavit duplici peccato, & intemperantiæ, per ebrietatem, & injuſtitiæ occidendo ſemetipſum, aut alios: in ſecundo non peccavit alio peccato, quàm intemperantiæ, quia cum plena advertentia voluit inebriari, non autem injuſtitiæ, quia abſque ulla præviſione periculi per invincibilem inadvertẽtiam commiſit ſupradictam occiſionem, quod ſi aliquam negligentiam admiſit levem tamen, non advertendo, tantùm in hoc levitèr peccavit. Leſſius, Caſtro, Maſtrius. Molin. Layman &c.

Omnium ſupradictorum rationem aſſignat D. Thom. 1.2. *quæſt. art.5.* quia dicit Angelicus, ſi aliqua operatio fiat à qua ſequatur alia peccaminoſa prout eadem, à qua provenit, dubium aliquod nõ eſt, quod hæc novam malitiam actui præcedenti ſuperaddit: quando tamen hoc fuit benè cognitum ab illo, qui commiſit ſupradictum peccatum, quia ſi cognoſcatur ab illo, quod à malo à ſe patrando poſſunt provenire alia, & tamen per hoc non ſe abſtinet ab illo patrando, ipſius voluntas majorem habet malitiam, quam haberet, ſi abſtineret ſe à dicto peccato non præcisè propter peccatum ſecundum ſe, ſed quia eſt cauſa graviorum. Quamobrem quia actus voluntatis noſtræ totum ſuum eſſe ſumit ab ipſa voluntate, cum illa majorem malitiam habeat, actus ejus debet conſequẽter etiam habere majorem malitiam. Verum quidem eſt, quod in caſu, in quo non ſit præviſum peccatum, quod poterat à primo provenire loquẽdum eſt cum diſtinctione, quia aut malum, quod provenit, provenire ſolet ferè ſemper, aut non; ſi provenire ſolet, cum non poſſit dici provenire per accidens cum in multis proveniat, quamvis non ſit præviſum malum, cum debuerit prævideri, peccatum eſt gravius, ſi verò non ſolet evenire in paucis eveniendo, tunc cum non ſit præviſum cum omnimoda diligentia, non eſt culpa gravior primum peccatum commiſſum. Hoc totum eſt doctrina Angelici Doctoris loco ſupracitato, à qua colligitur, quod ille talis ſolitus in ebrietate committere graves, &

pec-

Digitized by Google

peccaminoſos exceſſus cum detrimento notabili proximi ſui, verbis, aut operibus quamvis numquam evenerit aliqua occiſio, quę tamen facilè evenire poteſt ab aliqua ex dictis percuſſionibus, aut damno ſupradicto, peccat non ſolùm gravius ſi inebrietur, ſed committit duplex peccatum modo ſupradicto. Quod applicandum eſt cuilibet caſui ſimili, in quo aliquis afficiat actionem bonam aut malam, á qua provenire poteſt grave damnum proximo ſuo. Unde medici debent eſſe valdè cauti in curando juxta conſuetum ſemper operando, & non ad propriũ libitum extra regulas, & præcepta medicinæ præbendo infirmis medicamenta nova ad probandũ ſi juvent, aut noceant: quia vel prævideant vel non prævideant detrimentum, notabile tamen, ſi provenerit ſecundũ hanc doctrinã Angelici Doctoris non excuſantur à culpa gravi contra hoc præceptum cum obligatione reſtitutionis. Aſteſanus Caramuel, Azor, & alii.

A ſupradictis colligitur, quod peccatur contra hoc præceptum, ſeu graviter ſeu leviter, ut dictum fuit, primo ſi aliquis iraſcatur cõtra proximum ſuum animo ulciſcendi: ſecundo verbis, injuriis, ſeu contumeliis eundem afficiendo: tertiò ſibi ipſi exoptando, ſeu aliis damnum vitæ, & procurando idem damnum quærendo illorum mortem, ſive ſequatur, ſive non, quarto illi, qui percutiant, vulnerant, aliquo membro privant, aut occidunt abſque auctoritate illis à ſuo ſuperiore, aut Principe conceſſa, ad quem pertinet: ex cujus deficientia occidendo maritus uxorem, aut pater propriam filiam in adulterio deprehenſam peccat contra hoc prę-ceptum, & contra Ius Canonicũ hoc totum etiam prohibens. Ita D. Thomas *quæſt. 64. artic. 3.* & Decretum Sacræ Congregationis & Univerſalis Inquiſitionis editum 1663. die 24. Septembris. Quinto, qui facere omitti id quod debet ex ignorantia, aut negligentia, à qua omiſſione ſecuta ſit alicujus mors. Sexto, illi qui alios provocant ad rixas, aut duellum, ſeu acceptant dictam provocationem, ſeu aſſiſtunt quocunque modo dicto duello, & cum poſſint illud impedire, non impediunt. Ultimo tandem mulieres, quæ aliquo modo cauſa abortus cum omnibus illis, qui dicto abortui prę-bent auxilium, aut conſilium: ſicuti pariter matres, nutrices, aut aliæ, quæ dormire faciant in proprio ſuo lecto infantes cum periculo ſuffocationis illorum, quamvis non ſequatur effectus. Sanchez, & Navarr. citati à Filiuccio *tom. 2. tract. 29. cap. 6. concl. 2. & cap. 7. concl. 4.*

DU-

Digitized by Google

## DUBIUM II.

*Quando licitum ſit Homicidium.*

PRimo homicidium, uti diximus in antecedenti dubio, licitum eſt, quando committitur ex publica auctoritate contra malefactores, ut v.g. exules publicos, aut alios morti condemnatos, dũmodo iſti occidantur non animo vindictæ ad aliquam injuriam, aut offenſam ab ipſis receptam, quia tunc etiam poſita prædicta auctoritate tranſgrederetur præceptũ, non ratione actus externi ſecundum ſe conſiderati, ſed ratione intentionis pravæ, qua committeretur, ſed tantùm ob beneficium publicum, & ex obedientia ſuperioris, aut Principis, qui illud præcepit, aut ratione officii, quod exercet, ſi ſit Carnifex.

Secundo, licitum eſt occidere etiam præventivè ille talis, quem patet velle occidere alium, quem licet occidere huic tantùm ad defenſam, & non aliis: in caſu tamen quod non poſſit alio modo ſe eximere ab illo. Bannes, de Lugo, Diana, & alii. Non intelligitur tamen hic comprehenſus ille, qui certò ſciens velle aliquem Iudicẽ ſe condemnare etiam injuſtè ad mortem, ſeu ſtatutum eſſe à judice ferre contra ſe in aliqua lite ſententiam: ſive intentione occideret judicem, aut teſtes falſos, aut accuſatorem: cum ſententia, aut opinio, quæ hoc aſſerit, eſt damnata tamquam erronea, & eſt decima octava ex damnatis à Sacra Inquiſitione die 22. Septembris 1665. Et ratione quia per illam ſententiam, ſeu opinionem daretur occaſio infinitis homicidiis commiſſis ſub hac falſa prætenſione. Caſpenſis *tract.* 18. *diſput.* 3. *ſect.* 4.

Tertio, fere communiter contendunt Doctores, & Caſiſtæ, quod licitum ſit perſonæ nobili ad defenſam proprii honoris, ad conſervationem propriæ famę occidere qui quærit illam tollere, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, ut ipſi dicunt, hoc eſt quando non ſit alius modus ſe eximendi à dicto detrimento, & quod fiat ex hoc tantùm motivo: quia ſi moveatur ex motivo iræ, aut vindictæ non fiunt immunes, & exempti, nec etiam in hoc caſu ab hoc præcepto. Silveſter, Sotus, Navarr. Leſſius, Tolet. Abellius, & alii apud Maſtrium *diſput.* 12. *art.* 2. *num.* 3. *& alii apud* Bonac. *diſput.* 1. *ſect.* 1. contra Caramuelem.

Sed quia eadem Sacra Congregatio ſupradicta pariter damnat tamquam erroneam, & ſcandaloſam opinionem, quæ audet aſſerere, licitum eſſe Religioſo ſeu Clerico ratione infamiæ, aut calumniæ, vel manifeſtæ, vel cum periculo, quod manifeſtetur ab aliquo contra ſe, aut contra ſuam Religionem, cum non ſit alius modos ſe defendendi: occidere (quod continetur in propoſitione

immediate antecedẽte ſupradictę) quamvis in terminis non ſit eadem opinio, nihilominùs quia nimis conſimilis, & valde cohærens illi eſt, quamvis illam non negem, non audeo tamen illam aſſerere, & eo vel magis quia damnatur in terminis ab eadem Sacra Congregatione hæc alia, quæ eſt ſecunda ex damnatis die, & anno ſupradicto 24. Septembris 1665. *Vir æqueſtris ad Duellum provocatus poteſt illud acceptore, ne timiditatis notam apud alios incurrat*. Ex quo infero, quod non obſtante periculo evidenti propriæ infamiæ non eſt licitum nobili viro ocidere, dum eidem non licet duellare, cum inſeparabilia ſint poſſe occidere, & poſſe duellare; quia occiſio eſt filia, ut ita dicam, duelli. Et hæc eſt ſimiliter cauſa, quod nõ audeo concedere aliquos caſus à multis conceſſos, in quibus ſuſtinent, eſſe licitum duellum, cum magna ſit difficultas an etiam ſupradicti caſus, quamvis non expreſſi contineantur implicite in dicta propoſitione damnata.

Suſtinent deniq; nonnulli graves Auctores, ut Enriquez, Fernandez, Layman, & alii, eſſe licitum homicidium, vulnus &c. illi, qui fuit percuſſus alapa ab alio ad recompenſandam infamiã notabilem receptam ex dicta percuſſione cum hoc tamen quod non ſit ex motivo vindictæ, ſed ad ſolam proprii honoris defenſam. Verum hæc ſimiliter eſt propoſitio trigeſima, damnata à ſupradicta Sacra Congregatione die 2. Martii 1679. His terminis: *Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter & ignominiam vitari nequit, idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*. Præter quam quod ſi non eſt licitum perſonæ nobili hoc facere ad proprii honoris defenſam, ut dictum fuit; nec etiam abſolute loquẽdo erit licitum cuique ex quocumque motivo ſive ſupradicto, ſive alio; immò ſi non eſt licitum Nobili, multò minus licitum erit plebeo.

Item volunt iidem Auctores, quod licitum ſit, quod aliquis permittat ſe caſtrari ex ſolo motivo canendi in Eccleſiis, quando tamen non ſit moraliter periculum mortis, ut habet Tambur. *lib. 6. cap. 2. §. 5*. In hoc nec etiam facile cum ipſis aſſentirer ex rationibus, quas ipſi aſſignant, quæ apud me nullum fundamentum habent: quia autem video hoc communiter fieri, dicam eſſe licitum, quamvis melius eſſet abſtineri ab illo: nam aliam non video neceſſitate non faciendi, quàm periculum infirmitatis graviſſimæ, & multoties etiam ipſius mortis, ſi non fiat.

DU-

Digitized by Google

## DUBIUM III.

*Quænam ſit reſtitutio ad quam tenetur, qui notabile damnum homicidio, vel alio modo ſupradicto, Proximo ſuo intulit.*

NEgari nequit, quod ratione mortis illatæ, aut ratione privationis alicujus membri, & eo magis ſi illud membrum ſit neceſſarium ad vivendum, ſive ratione gravis vulneris, quod requirat notabilem auram: teneatur damnificans, ſeu offendens ad recompenſationem, Medicorum, Chirurgorum, & medicamentorum verùm etiam ad damnum emergens, & lucrum ceſſans, quod de illo vulnère provenit: v.g. ſi vulneratus vivit propriis laboribus, & induſtriis, ſi debet qui illum vulneravit non ſolùm expenſa reſtituere ſupradicta, exceptis tamen ſuperfluis, ſed etiam damnum, quod domui provenit quo ad vitę ſuſtentationem ex deficientia illius, qui illam ſuſtentabat. Quod ſi patiens privus remaneat aliquo membro ex percuſſione quo ſibi procurabat præfatam ſubſtentationem, tenetur qui illum percuſſit ad recompenſationem reſpectivè debitam ad arbitrium Iudicis, aut alterius viri prudentis. In caſu verò mortis ſecutæ cauſa ejuſdem percuſſoris, debet tota eadem recompenſatio fieri hæredibus, qui ſuccedunt ad jus mortui, vel dominio, ſi mortuus dum viveret, erat ſervus, quando ex deficientia dicti famuli mortui damnum notabile Domino proveniat. Si autem occiſus fruebatur bonis Eccleſiaſticis, aut aliis proventibus tantùm ſua vita durante tenetur occiſor ad recompenſationem omnium illorum ſecundum tempus, quo poterat naturaliter loquendo ſupervivere judicio peritorum. Et in caſu quo aliqua fœmina ratione vulneris in facie recepti remaneret deformis ita ut diſſicillimæ inveniret cauſa dictæ deformitatis maritum: teneretur qui illam vulneravit illius dotem augere juxta proprium gradum ad facilitandum illi matrimonium. Hæc eſt communis Doctorum ſententia, ut ait Maſtrius *diſput.* 8. *quæſt.* 2. *art.* 3. Ita ut ſi aliter fiat, prout fuit dictum, eſt grave peccatum, neque ab alieno abſolvi poteſt, niſi prius ſatiſfiat ſupradictis reſtitutionibus.

Secundo, lis & controverſia eſt inter Caſuiſtas an non tantùm ratione damnorum quæ afferunt ſupradictæ offenſæ debet recompenſari damnificatum, verùm etiam ratione injuriæ, aut ut meliùs dicam, ratione ejus damni primarii (hoc eſt ratione mortis, aut vulneris) à quo oriuntur alia debet fieri recompenſatio. Contendunt multi quod fieri debet etiam iſta, cum ſit primum, & principale damnum aliorum. Alii tamen dicunt, & meliori fundamento, quod ſimilis recompenſatio non

poſſit fieri neque pecunia, neque facultatibus, ſed tantùm propria perſona: quia vita non habet pretium æquale ad illam recompenſandam. quam vitam eandem occiſoris: hoc autem non eſt factibile, ita ut delinquens ſpontaneè ſe ad mortem exponat, immò nullo modo eſt in excutione ponendum; cum nemini liceat occidere ſe ipſum prout ſaltem indirectè eveniret in hoc caſu, in quo, quamvis ille talis ex ſemetipſo propriè non ſe occidat, nihilominùs voluntariè ſe dat in manus inimici, ut illum occidat, ſi vult, quod eſt indirectè ſe ipſum occidere exponendo ſe occaſioni proximæ moriendi, dum in ſimili occaſio non occidendo ipſum, inimicus actum faceret Chriſtianum valde heroicum, qui redditur difficillimus abſque ſpeciali gratia Dei. Verum quidem eſt, quod meo videri totum, quod ſolet fieri ab eo, qui offendit, petendo ab inimico pacem, quod aliud non eſt, ſi benè conſideretur, quam dicere offenſo, in tua manu eſt, & poteſtate, vel pœna, vel recompenſatio injuriæ, aut damni gravis, quod tibi attuli recompenſando illud cum æquali offenſa, peto à te veniam, hoc eſt condonationem hujus debitæ compenſationis, quam poſtulo à tua generoſitate Chriſtiana. Dixi, generoſitate Chriſtiana, quia verè, & realitèr actus condonandi inimico eſt actus Chriſtianus, quia præceptus à Chriſto Domino in Sacro Evangelio Matthæi cap. 5. per illa verba: *Diligite inimicos veſtros, Benefacite his, qui oderunt vos*. Eſt etiam actus generoſus, quia difficilis. Concludendum igitur eſt, quod à Chriſtiano jam ſit recompenſatio per ſimilem actum, qui virtualiter continet in ſe, & implicitè, quamvis non expreſsè, præbere vitam in manus offenſi. Et in hoc ſenſu prima ſententia eſt vera, immò Evangelica, ita ut non faciendo actum ſupradictum, tam offendens, quam offenſus, primus, petendo remiſſionem offenſæ recompenſationis per veniam, ut diximus: ſecundus verò in condonando totum, uterque peccaret mortalitèr; primus contra hoc præceptum in non recompenſando damnum, & ſecundus contra primum amoris erga Proximum. Unde primus eſſet contra Iuſtitiam, ſecundus verò contra Charitatem. Vaſquez, Leſſius, Bonac. Navarr. Turrian. Amicus, Azor. & alii.

Tertio advertendum eſt, quod etiam occiſor, aut offenſor, ut ſupra; ſive morte, ſive alia pœna puniatur à Iuſtitia, debet tamen facere ſuam reſtitutionem ratione damnorum provenientium ab offenſione facta, quia pœna eſt tantùm in recompenſationem offenſę, non autem damnorum provenientium. Quamobrem hæredes morientes per manus Iuſtitiæ ratione ſimilis delicti tenentur ad ſupradictas recompenſationes, & reſtitutiones: & cõtraveniendo peccant

cant graviter abſque ulla ſpe abſolutionis priùs, quàm ſatisfaciant. Navarr. Leſſius, Bonac. & *alii apud* Maſtrium *diſput. quæſt. & art. ut ſupra num. 46.*

Quia autem poteſt dari caſus, quod aliquis motivo valde pio: & ſancto offenſus ab inimico ad actum faciendum magis heroicum priùs quam moriatur non ſolum remittat injuriam, & damnum proprium, verùm etiam omnia damna, quæ ex illo proveniunt, remittendo dicto inimico reſtitutionem faciendam ſuis hæredibus, qui remanent in vita, dico, quod in caſu ſimili homicida hoc non obſtante reſtituere debet totum, & integrum, quod debet: quia non ſubſiſtit dicta remiſſio facta in præjudicium hæredum, & eò vel magis ſi dicti hæredes pauperes remaneant propter occiſi abſentiam. Unde in hoc caſu quilibet Patrum ſpiritualium aſſiſtentium illi, qui in hoc ſtatu reperitur minus cautè procedere debet in illum exhortando ad remittendum tantùm; id quod debet inimico: ne ad faciendum actum magnæ virtutis, & ſummæ Charitatis faciat peccaminoſum contra Iuſtitiam cum obligatione reſtitutionis. Ita Maſtrius ut ſupra cum aliis ab eo ibidem citatis.

Tandem ad illud grave dubiũ, quod movetur à Theologis moralibus, an ſit licitum matri in caſu infirmitatis propriæ, cum ſit gravida, permittere quod moriatur fœtus in utero cauſa alicujus medicamenti, quod ſumeret, deberet ad vitandum mortem, de quaſi evidenter timetur. Reſpondeo cum communiori ſententia, quod in hoc caſu, ſi ſit aliqua certa ſpes quod abſtinendo ſe mater ab illo medicamento fœtus veniet ad lucem, ita ut baptizari poſſit, & ex oppoſito medicamentum prædictum ſumendo fœtus magnum periculum mortis incurrit in utero matris abſque eo quod poſſit baptizari: mater non debet ſumere dictum medicamentum, quamvis hac privatione ſe exponat periculo etiam evidenti moriendi: dum ſemper anteponenda eſt ſalus ſpiritualis Animæ temporali corporis, & conſequenter pro ſalute ſpiritualis debet mater periculo exponere etiam evidenti mortis propriam vitam. Sanchez *lib. 9. diſput. 20. num. 9.* Leſſius *cap. 9. numero 63.* Filuc. *tom. 2. diſput. 24. cap. 6. quæſt. 3.*

Sed quia caſus eſt rariſſimus, immò moralitèr impoſſibilis, quod moriendo morte naturali mater ſimul non moriatur proles, quæ ſecundum rationem naturalem pati debet eamdem infirmitatem ſumendo in ventre alimentum infectum ab iiſdem humoribus corruptis matris, dico, quod poteſt abſque ullo ſcrupulo ſupradicta mater ſumere prædictum medicamentum, dum idem periculum ſalutis, & mortis incurrit mater, ac proles, cum ambæ in eadem infirmitate ſint. Itaque ſumendo mater medicamentum ad ſibimetipſæ,

Digitized by Google

ipſæ ſalvandam vitam in tutò ponit etiam vitam fætus, qui eamdem patitur infirmitatem, conſequenter eſt in eodem periculo matris. Unde ſi in primo caſu, quem, ut dixi, exiſtimo moralitèr impoſſibilem, ſi umquam eveniret non ſolùm cum periculo evidenti, verùm etiam probabili, non poteſt mater abſque ſcrupulo culpæ gravis ſumere medicamentum, ſolùm ut in tuto ponat ſalutem ſpiritualem dictæ prolis, quæ neceſſariò dependet à vita temporali; ita in caſu noſtro non poteſt abſq; eodem ſcrupulo emittere ſumptionem illius, ut in tuto ponat ſalute ſua corporali utramque fætus ſalutem. Sanchez ibi ſupra *nu.* 14. & 15. Leſſius *etiam ut ſupra n.* 64. Lopez, Aragon. Navarr. Corduba, Emanuel Sà, Filucc. & *alii*.

Ex quo infertur clarè, quod nullo modo neque ex aliquo prætextu poteſt mater ore ſumere aliquid, neque ſuo corpori applicare externè rem aliquam ad procurandum abortum abſque graviſſima culpa; ut habet Filucc. *n.* 103. Sanchez *num.* 50. Navarr. & *alii*. Non obſtante quod ex infamia proveniente à graviditate ſit in evidenti periculo mortis, cum debuat, ut ſupra dixi præferri ſalus ſpiritualis, & æterna prolis propriæ vitæ temporali. Neque datur hìc locus illi diſtrictioni, quã aliqui admittunt fætus animati, aut inanimati, ſuſtinentes hi quod poſſit abortiri, quando fætus non ſit animatus, non autem quando ſit animatus, quia hæc in terminis eſt propoſitio vigeſima quarta damnata à ſupradicta Sacra Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis die ſecunda Martii anni 1679. hoc eſt licèt procurare abortum ante animationem fętus, ne puellam depræhenſa gravida occidatur, aut infametur.

## *De Sexto Præcepto Decalogi.*

SExtum præceptum habemus, cap. 20. Exodi his verbis. *Non mæchaberis*. Per quæ verba quamvis tantùm Adulterium videatur prohibitum: nihilominùs contendunt communiter Sacri Interpretes, quod etiam prohibeatur per illa quodlibet aliud peccatum carnis. Et eatenus exprimatur tantùm Adulterium, quatenus cum etiam hoc præceptum ſit ſecundæ tabulæ, & conſequenter reſpiciẽs damnum Proximi, adulterium inter alia peccata ſenſus eſt magis dicto Proximo nocivum. Ad declarandum igitur conſueta brevitate, & claritate totum id, quod prohibetur per hoc præceptum: tribus dubiis illud reſolvemus. Quamobrem ſit.

DU-

## DUBIUM PRIMUM.

*Quot ſint ſpecies peccatorum per hoc præceptum prohibitorum.*

IN hoc præcepto, prout dictum fuit, prohibetur generaliter peccatum carnis, ſeu ſenſus, quod vocatur ſuo nomine generico luxuria. Hæc continet ſub ſe plurimas ſpecies, in quas dividitur. Prima vocatur ſimplex fornicatio, & eſt uſus aut copula naturalis carnis inter maſculum,& fœminam liberos: hoc eſt qui non ſint modo aliquo conjuncti ſacro ligamine Matrimonii, aut Voto Religſonis, aut Caſtitatis; neque conſanguinitate, ſeu affinitate. Dicitur iſta, uſus, aut copula naturalis, quia eſſe debet juxta ordinem naturæ in vaſe ordinario ad differentiam alterius: quæ dicitur contra naturam,ut dicemus. Hæc prima ſpecies luxuriæ, quod ſit peccatum mortale, eſt ita verum, quod illud negare eſt hæreſis manifeſta. Sic fuit definitum in Clementina ad noſtrum de hæreticis.

Sunt nihilominùs aliquæ circumſtantiæ, quæ neceſſario debent exprimi in confeſſione in ordine ad dictum peccatum, cum ſint notabilitèr aggravantes. Prima eſt fornicatio per modum Cõcubinatus,& eſt quando habitatur continuatè cum muliere libera ad habendum carnale commercium cum ipſa pro ſua commoditate, & beneplacito. Hæc circumſtantia eſt ita aggravaes, ut reddat incapacem abſolutionis, qui illam committit, cum eodem modo ſe habeant in ordine ad dictam incapacitatem abſolutionis tam Concubinarius quam meretrix, cum ambo ſint in continua occaſione proxima peccati gravis. Navarr. Sanchez, Filucc. Buſſembaus, & alii communitèr. Secunda eſt fornicatio cum infideli, hoc eſt cum Hæbræo, Turca, Idolatra, aut Hæretico, quia quamvis non eſſet hæc circumſtantia, quæ ſpeciem mutet (quod controvertitur inter graves Doctores) eſt circumſtantia notabilis, & valde aggravans. Quod colligitur à pœnis gravioribus, quas aſſignant tam Leges Civiles, quàm Canonicæ, & imponunt mulieribus, quæ conjunguntur carnalitèr cum Hæbreo, quàm illis, quæ conjunguntur cum quolibet Catholico, Sanchez *lib.7. de matrimonio*, Cardinalis de Lugo *diſput. 16. de pænitentia ſect. 6. & alii*.

Secunda ſpecies luxuriæ eſt Stuprum, quod conſiſtit in defloratione alicujus fœminæ Virginis, per vim, & contra illius voluntatem. In qua definitione debent declarari particulæ, ut benè poſſit intelligi, in quo conſiſtat hoc grave peccatum. Primò dicitur defloratio, quia ſi non defloretur, hoc eſt aperiatur clauſtrum virginale, non eſt ſtuprum, ſed alia ſpecies luxuriæ, ut dicemus. Se-

cun-

cundo dicitur fœminæ: quia propriè tantùm amiſſio Virginitatis mulieris cauſat ſtuprum, non autem illa maſculi. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 11. Denique dicitur facta per vim: quia ſi fiat non contra volũtatem, ſed cum libero conſenſu mulieris volunt Doctores nonnulli, quod non ſit ſtuprum, ſed ſimplex fornicatio quamvis magis gravis ratione aperitionis, ſeu fracturæ ſigni Virginalis, adeoque volunt eſſe circumſtantiam explicandam in confeſſione. Leſſius *l.* 2. *cap.* 10. Sanchez *lib.* 7. *diſt.* 12. Nihilominùs vult D. Tho. 2. 2. *q.* 154. *artic.* 1. quod ſemper ſit ſtuprum, quando ſit ſupradicta aperitio, ſeu fractura: & quod, ſi addatur violentia, dicatur Raptus, per quem tenetur ſub peccato mortali, ſivè ſtuprum, ſive raptus ſit, qui hoc committit ad dotandam fœminã, ut poſſit nubere juxta ſuam conditionem, ſeu ingredi Religionẽ: vel ſaltem eam ſibi matrimonio conjungere, quando ambo æqualis conditionis ſint, proùt habetur ex capite ſi ſeduxerit *de Adulteriis*.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus non tenetur in conſcientia ſtuprator ad recompenſationem damni ſupradicti: quamvis aliquando poſſit ad illud cogi in foro externo. Primus eſt, quando Virgo ſtuprata liberè, & ſpontè conſenſit copulæ abſque ulla promiſſione, aut pacto & ſine ullo timore, aut vi illi factæ à ſtupratore: quamvis alliceretur ad delictum perſuaſionibus, & magnis præcibus, quando tamen ex hoc non ſequeretur infamia talis ratione revelationis factæ ab eodem ſtupratore fœminæ, ut redderetur valdè difficile illi nubere: nam in ſimili caſu ſtuprator teneretur ad totum id, quod neceſſarium eſſet pro dicta infamia. Sotus, Navarrus, Silveſter, Ledeſma, Vaſquez, Caſpenſis, Cordub. Angelus, Cardinalis de Lugo, & Maſtrius *diſp.* 9. *qu.* 3. *ar.* 2. *Theol. moral.*

Secundus caſus eſt, quando Stuprator induxit mulierem ad eſſentiendum ſuæ libidinoſæ voluntati juſto timore v. g. ſi induxit illam minando, quod ſi non aſſentiat, illam accuſabit de aliquo gravi delicto ab ea commiſſo apud Patrem, ſeu apud Iudicem cum illius notabili damno, quam accuſationem poterat ſtuprator legitimè ferre; ipſa verò ad fúgiendum hoc grave damnum timore plena, conſenſit. Turrian. Cardinalis de Lugo; Poncius, quos citat idem Maſtrius ibidem *num.* 59.

Tertio ſi habendo commercium vir cum muliere ab eo exiſtimata Virgine poſtea habuerit notitiam indubitatam, & certam, quod ante dictum commercium, ſeu copulam, jam mulier eſſet ſtuprata, & non Virgo. Sicuti pariter ſi ob dictum commercium, ſeu copulã nullam incurreret fœmina infamiam, cum ſtuprum ſecretò fuerit factum, non obſtante quod per dictam copulam deflorata remaneat: Maſtrius *ibid.*

Quar-

Digitized by Google

Quarto ſi mulier ſtuprata potuit facile cognoſcere, & advertere, vel ab inæqualitate conditionis, vel ab aliis ſignis, quod ſtuprator fingebat in promiſsis, prȩcipuè in illa matrimonii ſecum contrahendi: dum in ſimili caſu non fuit propriè decepta cognoſcendo, ut dixi, vel ſi poterat facilè cognoſcere deceptionem, cum in tali caſu contractus non ſubſiſteret, cum non ſit verus, ſed fictus ex parte viri, & ut talis cognitus, & conſequenter à muliere acceptatus, quæ conditio dirimit contractum. Ex oppoſito verò ſi mulier non potuit niſi difficiliter prævidere falſitatem promiſsionis; etiamſi vir habuerit intentionem eam decipiendi, tenetur vir ſtuprator ad recompenſationem, & ſatisfactionem injuriæ, ut diximus: immo ad matrimonium cum illa contrahendum, ſi talis expreſsè fuit promiſsio, non obſtante conditionis inæqualitate ſi ſit, Maſtrius in *in lib.4. ſententiarum diſput. 7. de Matrimonio quæſt. 9. artic. 3.*

Quinto ſi mulier deflorata ſciebat quod deflorator Votum caſtitatis emiſit, & hoc, non obſtante delicto conſenſit mala fide, quod ille ſemetipſam ducturus eſſet in uxorem ob illius falſas, & injuſtas promiſsiones illius; quod nõ poterat exequi cauſa voti ſupradicti. In caſu verò quod deflorata tale Votum neſcivit, quamvis deflorator poſt deflorationem illud mulieri revelaret tenetur ad matrimonium cum illa contrahendũ; non obſtante dicto voto, quando non poſſit aliter recompenſari dãnum. Advertendum tamen quod poſt matrimonium contractum non poteſt in ſimili caſu maritus petere ab uxore debitum; quamvis teneatur illud reddere, ſi ab uxore petatur: quando tamen nolit diſpenſationem dicti voti quærere facilè obtinendam, qua obtenta poterit vir abſque ullo ſcrupolo, & reddere, & petere debitum matrimoniale. Idem *diſput.9.quæſt.4. art.2. nu.64.* Theologiæ moralis.

Sexto ſi cum promiſerit deflorator Matrimonium contrahere cum deflorata, quæ per talem promiſſionem tantùm inducta fuit ad conſenſum; ab hoc matrimonio promiſſo ſecuturum ſit grave ſcandulum, aut damnum notabile: unde in caſu ſimili tenetur dictus deflorator alio modo injuriã recompẽſare extra matrimonium. Simile debet fieri ab illo, qui ſtupravit Virginem dicta promiſſione, ſi ſit ordinatus Ordinibus Sacris, vel ſit Matrimonio conjunctus cum alia, cum non poſſit omninò ſatisfacere promiſſis, præcitatus Maſtrius ibidem *num.35.*

Septimo, & ultimo, ſi mulier poſt deflorationem non obſtante promiſſione facta defloratori ſe illi nubendi: habuerit cum alio copulam ſi deflorator nil aliud, promiſerit defloratæ, quàm ei nubere, non tenetur neque huic, neque aliæ recompenſationi; dum



Digitized by Google

damnum amiſſionis candoris Virginalis non poteſt per quamlibet recompenſationem redimi, Maſtrius ibidem.

Tertia ſpecies Luxuriæ eſt Adulterium, quod conſiſtit in copula carnali ſecuta tamen in vaſe naturali inter maſculum, & fœminam, quorum unus, aut ambo ſint conjuncti vinculo Matrimonii: hoc eſt copula ſecuta, & habita in vaſe naturali à conjugato cum conjugata diverſa à propria uxore, ſeu conjugata cum alio conjugato diverſo à proprio marito: ſeu liberi cum conjugata, aut liberæ cum conjugato. Qui modi, & ſtatus ſunt neceſſariò exprimendi in Confeſſione pro majori, aut minori gravitate peccati, cum minus ſit Adulterium commiſſum cum muliere conjugata, quam cum libera, ob injuriam duplicitèr factam Sacramento, præcepto, & proli, prout modò dicemus.

Hoc eſtPeccatum gravius duobus antecedentibus: primo quia ab hoc frangitur fides, aut promiſſio matrimonialis præter injuriam Sancto Matrimonii Sacramento illatam. Secundo quia poteſt dari caſus quod à ſimili copula, aut carnali conjunctione naſcantur filii, qui cum pervenerint ad ætatem majorem legitimorum ob ignorantiam:quod nati ſunt ex Adulterio, & conſequenter quod ſunt illegitimi: præferantur legitimis, & ob hanc cauſam ſuccedant hæreditati cum notabili detrimento propriorum hæredùm. Ex quo colligitur, quod quamvis deſit ex parte prima injuria, & offenſa facta marito, aut mulieri, quando ex conſenſu utriuſq;committitur peccatum quia ex communi illo axiomate, ſcienti, volenti, & conſenſieti in aliquo dãno nulla ſit injuria, remanet nihilominùs alia gravior Sacramenti, & detrimentum filiorum modo ſupradicto, & conſequentèr eſt verùm Adulterium, nec mutat ſpeciem per dictum conſenſum tranſeundo de adulterio in ſimplicem fornicationem.. Hoc autem ita verum eſt, quod aſſerere non teneri, qui habet copulam cum conjugata conſentiente marito, exprimere ſe comiſiſſe adulterium, ſed ſimplicem fornicationem, quia dicta copula cum dicto conſenſu non eſt adulterium, damnatur à Sacra Congregatioue prædicta 2. Martii 1679. cum ſit prorſus idem, quod aſſeritur in hac. Copula cum conjugata conſentiente marito non eſt adulterium; adeoque ſufficit in Confeſſione dicere ſe eſſe fornicatum. Quæ eſt quinquageſima inter alias eo tempore damnatas, itá communitèr Doctores.

Hic advertendum eſt, quod ſi mulier adultera ab adulterii copula concipit, & habet generationem, aliquando tenetur illud revelare, ne filius legitimus hæreditate privetur, ſi hoc ſit occultum, non obſtante quolibet detrimento, quod illi immineat cauſa

dictæ

Digitized by Google

dictæ revelationis : ut v. g. ſi ſuccedendo hæreditati ſpurius, qui creditur legitimus, natus ex adulterio proveniret ex hoc alicui Regno, Reipublicæ, aut alii cuique Communitati notabile detrimentum cauſa depravatorum morum illius, & præcipuè quia hæreſi eſt infectus : mater tenetur hoc revelare, quamvis exponatur per hāc revelationem manifeſto periculo etiam amiſſionis propriæ vitæ ultra infamiam, & ratio eſt iſta, quia bonum commune debet præponi cuilibet bono particulari: ordinariè tamen non tenetur illud cum tanto periculo manifeſtare. Scotus, quem ſequitur Aretinus *diſtinct.* 16. *quæſt.* 2. *art.* 5. *& alii*.

Verum quidem eſt, quod debet mater in dicto caſu diligenter procurare recompenſationem notabilis damni filii legitimi, cui debetur hæreditas, exhortando ipurium, aut illegitimum tacito delicto ut ingrediatur Religionē, ſeù fiat Eccleſiaſticus, aut ſaltèm per convincentia motiva illi propoſita, ut renunciet, & cedat hæreditatem legitimo, cui debetur. Quod ſi hoc non poſſit abſque notabili detrimento efficere, tenetur mater ita augere de propriis bonis portionem ſupradicti filii legitimi, ut reddat ſaltèm ſecundū majorem partem, ſi non in totum dictam portionem toti hæreditati æqualem. Si verò adultera non poterit, nec etiam hoc adimplere ratione paupertatis; ſufficiet quod retineat veram, & efficacem voluntatem recompenſandi detrimentum filii legitimi, ſi unquam erit in ſtatu hoc adimplendi, & hoc pro quiete omnimoda propriç conſcientiæ, cum non teneatur ſe infamare per dictam revelationem ſine extrema neceſſitatem, ut diximus. D. Antoninus, Cajet. Medin. Sylveſter, Angelus, Azor. Navarr. Vaſquez, Caſpenſis cum Canoniſtis *in corp. Offic. de pœnit. & remiſſ.*

Hinc infertur, quod ſi mater adultera tenetur recompenſare damna filiorum legitimorum: multo magis fortaſſe tenetur pater apulter, ſi tamen non ſit periculū vitæ, aut honoris, ut dictum fuit de matre, alere, & ſubſtentare filios naturales, & illos in ſtatu vivendi ſecundum propriam conditionem ponere; & ſi fœmina ſit, illam dotare juxta ipſius ſtatum. Hanc autem obligationem habet dictus adulter, ſi habeat certitudinem ſaltem moralem, hoc eſt veriſimilem ex circumſtantiis occurrentibus, quod ille talis verè proprius alius ſit, & non aliorum; cum non ſit ita facile de hoc haberi certam notitiam, nec teneatur vir facilè credere in hoc mulieri, quæ ſolet falli, & pro ſua utilitate querit fallere adulterum. In caſu autem quod multi habuerint copulam cum muliere maritata, à quorum uno cum ſupradicta certitudine naſcatur filius, ſed ſit omninò incertum, à quo illorum naſcatur; omnes tenentur pro rata portione ad alimentum, &

curam illorum ex Iuſtitia: & aliter faciendo, præter culpam gravem non poſſunt ullo modo abſolvi, ſi Confeſſario ſupradictam ſatisfactionem non promittant, & compenſationem hæreditatis, ſi à ſpurio impediantur, legitimi, ut dictum fuit de matre adultera quę eximitur ab hac obligatione, ſi adulter ſatisfaciat in integrum toti Salas, Azor. Turrian. Martinez, Caſtro Palaus, Diana, & eſt communior opinio.

Quarta ſpecies eſt Inceſtus, qui conſiſtit in conjunctione, aut copula, ut ſupra cum muliere conſanguinea, aut affini uſque ad quartum gradum, & non ulterius affinitatis. Hoc eſt peccatum majus ſupradictis, quod tanto magis augetur, quantò ſtrictior eſt dictus gradus. Hinc oritur, quod majus eſt peccatum Inceſtus commiſſum cum conſanguineo illo, cum affine commiſſo, quod eſt gravius illo habito cum conjuncta cognatione ſpirituali, hoc eſt cum Patrino, aut Matrina; hoc autem erit gravius commiſſo cum conjuncto, aut conjuncta cognatione legali; hoc eſt cum conſanguineo adoptivo. Hæ diverſitates graduum debent exprimi in Confeſſione ad hoc ut Confeſſarius poſſit cognoſcere, & diſtinguere majorem, aut minorem gravitatem peccati. Supradicti gradus fuerunt à me jam declarati in meo Memoriali Theologico *tract. de Matrim. pag.* 235. *num.* 51.

Quinta eſt Sacrilegium, quod conſiſtit in aliqua ex ſpeciebus dictis, ſeu dicendis Luxuriæ, cum hoc tamen quod per ipſam polluatur perſona Deo dicata per Votum Caſtitatis, vel locus ſacer. Itaque quodcumque peccatum luxuriæ commiſſum cum ſacris Ordinibus inſignitis, aut cum Religioſo, aut ab ipſis cum aliis, quamvis laicis, aut à quocumque quamvis laico in loco ſacro ſemper eſt Sacrilegium. Item volunt aliqui Auctores, & gravi fundamento, ut Suarez, & Cardinalis de Lugo, quod actus impuri, & inhoneſti habiti in dictis locis, etiam non ſecuta pollutione, & copula inter conjugatos abſque neceſſitate in iiſdem locis ſint Sacrilegia.

Sexta dicitur Raptus, & committitur quando eripitur mulier ab aliquo, & domo propriorum genitotum, aut eorum ad quos pertinet ejus cura, per vim, & à Raptore fertur, ſeu transfertur in alium locum, ſeu domum, ut illa libidinosè abutatur. Quod peccatum in hoc differt ab aliis, quod mulier rapta ſit modo dicto, hoc eſt contra propriam ſuam voluntatem, ac aliorum ſub dominio, & cura quorum vivit. Neque excuſat cauſa matrimonii ob finem cujus rapta ſit mulier, quia matrimonium hoc modo contractum nullum eſt, ut dixi in meo Memoriali Theologico *tract. de matrimonio*. Itaque ad raptum propriè loquendo requiritur quod ſit per vim; unde conſentiendo mulier

viro

viro ad fugiendum, & multò magis ipſa petendo ob finem ſupradictum libidinis non eſt verus, & proprius Raptus, ita communis eſt Doctorum ſententia.

Item requiritur quod non ſit commiſſum peccatum, aut copula in domo propria mulieris, ſed in alia à Raptore inventa, ubi illam ſervat à genitoribus, aut aliis abſconditam ad ſui diſpoſitionem, & libitum independenter ab ipſis; ut fuit dictum. Quamobrem quamvis per vim obtineatur à muliere intentum libidinoſum ab eo, qui illam ſollicitat; ſi hoc eveniat in eadem domo mulieris: nõ eſt Raptus, ſed alia luxuriæ ſpecies ſecundum circumſtantias ſuperiùs dictas. Denique ut fuit dictum rapi debet ad finem inhoneſtum, ex quo ſequitur quod cum rapiatur ad inſerviendum Raptori in rebus neceſſariis ſuæ domus, neque eſt Raptus, neque alia luxuriæ ſpecies. Ita Leſſius, Sanchez, Reginald. Tamburrin. Bonac. & alii. Advertendum tamen, quod non obſtante, quod Concilium Tridentinum *Seſſ.* 24. *cap.* 6. aſſignet pœnam tantùm Raptori Virginis, nihilominus peccatum hujus ſpeciei cadit ſupra Raptorem cujuſcumquæ fœminæ, & etiam maſculi. Septima ſpecies eſt peccatum contra naturam, de quo cum ſit in hoc genere luxuriæ enormius, ſeparatim ſit.

## DUBIUM II.

### *In quo conſiſtat peccatum contra Naturam.*

PEccatum contra Naturam ita dicitur à Theologis, & Caſuiſtis: quia conſiſtit in actu luxuriæ repugnãte generationi humanæ, ſecuta tamen ex illo ſeminis effuſione, ut habet D. Thom. 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. Hoc poteſt diverſimodè committi. Primo quando aliquis effundit ſemen proprium voluntariè per propriũ tactum abſque copula cum fœmina, aut maſculo ſimplici pollutione; aut per cooperationem, & tactum aliorum quoquo modo habitum, dummodo ſequatur pollutio, aut effuſio ſeminis extra vaſa, tam mulieris, quàm viri: hoc autem vocatur Mollities, quæ ſemper eſt peccatum mortale: dũmodo, ut dixi, ſit voluntaria, quę nullo prætextu excuſatur: quamvis ſequeretur, aut procuraretur cauſa ſanitatis, cum evidentèr cognoſcatur, quod emiſſio ſeminis ſecuta modo ſupradicto etiam ex conſultu Medicorum neceſſaria ſit ad ſe eximendum ab aliqua infirmitate gravi, etiam mortali, immò ab eadem morte, ita ut hæc propoſitio: Mollities jure naturæ prohibita non eſt. Unde ſi Deus eam non interdixiſſet, ſæpè eſſet bona, & aliquando obligatoria ſub mortali. Eſt quadrageſima nona ex damnatis in Sacra Congre-



Digitized by Google

gregatione ſupradicta eadem die 2. Martii 1679.

Sed quia diximus, quod mollities aut pollutio ad hoc ut peccatum mortale, ſit neceſſe eſt, ut ſit voluntaria: advertendum eſt, quod dupliciter poteſt eſſe voluntaria, hoc eſt directè, aut indirectè. Eſt voluntaria directè quando aliquis illam immediatè vult; voluntaria vero indirectè eſt, quando quamvis non velit per actum clarum, apertum, aut explicitum voluntatis immediatè dictam pollutionem, vult nihilominus aliquid, à quo ſcit, ſecuturam eſſe pollutionem ſupradictam infallibiliter; immò ad hunc finem illud efficit, aut ſaltem illud non reſpuit cognoſcẽdo id ſibimetipſi cauſam, & occaſionem certam, & infallibilem dictæ pollutionis, quamvis ſecundùm ſe talis non ſit. V. g. ſi aliquis ſcit, quòd reſpiciendo fœminam, aut aliquam imaginem obſcænam, aut legendos libros obcænos, aut audiendo ſimiles diſcurſus per experientiam pluries habitam cauſatur ſibi pollutio: quamvis in ſe ipſis ſupradicta cõſiderata non ſint illius pollutionis cauſa: cùm non in omnibus hunc habeant effectum, ut evenit in tactibus impudicis, & præcipuè partium pudendarum, quæ ex natura ſua ad hoc ordinantur: nihilominus quia cognoſcit illa ut cauſam proximam ſibimet ipſi illius, ſi vult illa, vult conſequenter, quamvis indirectè pollutionem.

Idem dicendum de cibo, & potu; quia cognoſcendo ille talis, quòd nimius cibus, aut potus, aut quod aliqua ſpecies cibi, ſeu potus ſibi cauſat ferè ſemper dictum effectum: debet ab illo ſe abſtinere, apertè cognoſcendo, quòd illa ſunt ſibimet ipſi occaſio proxima ad pollutionem. Si verò ex aliqua neceſſitate aſtringatur ad manducandum illum cibum, aut ad ſumendum illum potum, qui ſolent ſibi cauſare eumdem effectum, in illo caſu non debet ſe ab illis abſtinere, dummodò non ſumat ſupradicta ad delectationem ſenſualem: quia tunc non eſt occaſio proxima, ut alibi diximus; & hæc eſt ratio quòd non obſtante quòd per evidentiam cognoſcatur ab aliquo Confeſſario lectionem alicujus libri facta pro tuo ſtudio, aut confeſſionem alicujus pœnitentis ſibi cauſare ut plurimum pollutionem: dummodo ipſe neque legat, neque confiteatur ad habendam ſimilem delectationem, ſed ſimpliciter ad adimplẽdum ſuum officium, cum hoc non ſit ullo modo occaſio proxima nõ debet illud omittere. Navarr. Sanchez, Layman. Filiucc. Leſſius, Bonaccin. Diana, & alii communiter.

Ad concluſionem hujus primi modi peccandi contra naturam ſciendum eſt, quòd quando ultra mollitiem, aut pollutionem ſupradictam aliquis habeat in ſua propria imaginativa aliquod obiectum, aut commercium libidinoſum,



Digitized by Google

ſum, peccat dupliciter: hoc eſt peccato mollitiei quoad opus, ſeu actum, quem efficit; ſodomiæ autem, adulterii, fornicationis &c. quo ad intentionem, & deſideriũ juxta imaginationem obiecti, quod habet in mente. Adeoque neceſſe eſt exprimere in confeſſione non ſolùm obiectum in genere, ſed etiam in ſpecie, hoc eſt, an ſit fœmina Religioſa, conjugata, virgo, aut libera: aut ſi ſit maſculus qui eſt Religioſus, uxoratus, aut liber. Ita communiter.

Secundò, committi poteſt hoc peccatum, aut copula inter duos ejuſdem ſexus, hoc eſt inter duos maſculos, aut duas fœminas cum effuſione ſeminis in vaſe, aut inſtrumento indebito: hic autem modus peccandi contra naturam dicitur Sodomia. Hæc aut eſt perfecta, ſi ſequatur pollutio in dicto vaſe, aut imperfecta, ſi ſequatur extra vas quamvis incepta; hoc eſt, procurata in illo: unde ſi maſculus habeat copulam cum fœmina in vaſe poſteriori, non committit propriè peccatum ſodomiæ, quia quamvis vas non ſit naturale, & proprium pro effuſione ſeminis, eſt nihilominus proprius, & naturalis ſexus; cùm ſit maſculi, & fœminæ. Quamobrem neceſſe eſt quòd exprimatur in confeſſione hæc circumſtantia, ut volunt Caſuiſtæ: quia quamvis ſervetur ſexus, non ſervatur tamen vas naturale; quod efficit peccatum majus adulterio, & fornicatione: hoc autem erit ſodomia impropriè dicta, aut imperfecta. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 154. *art.* 11. & omnes communiter.

Utraque ſodomia, hoc eſt perfecta, aut imperfecta poteſt habere ſibi annexum etiam aliud peccatum, hoc eſt adulterium, aut inceſtum, ſi committatur cum viro, aut muliere conjugatis, aut cum conſanguineis, ſeu affinibus, adeoque neceſſe eſt in confeſſione exprimere circumſtantiam ſupradictam, ſi caſus occurrat: non eſt tamen neceſſe exprimere gradum conſanguinitatis: quia per ſodomiam non ſit mixtio carnis, aut propria unio ſeminis, per quam contrahitur affinitas; ſicuti nec etiam exprimendum eſt neceſſariò ſi fœmina ſit virgo: quia intacto remanente clauſtro virginali non committitur peccatum ſtupri, & conſequenter non additur novum peccatum ipſi ſodomiæ. Volunt pariter multi graves Doctores, quòd non ſit neceſſe exprimere in confeſſione ſi pœnitens in actu ſodomitico fuerit agens, aut patiẽs, excepto tamen quando cum fuerit patiens, habuit etiam ipſe pollutionem: dum in tali caſu dubiũ aliquod non eſt, quod debet exprimi circumſtantia cauſa pollutionis habitæ tantùm: quia talis circumſtantia agentis, aut patientis non auget, aut diminuit peccatum, cum ambo ſodomitæ, ſive patiendo æqualiter concurrerint ad ſodomiam. Quod ſi ad majorem ſui quietem, & ad acquirendum majus meritum cauſa pudo-

ris

ris vellet pœnitens etiam exprimere dictam circumſtãtiam, opus Deo valde gratum, & laudabile efficiet. Maſtrius *diſput.*11. *qu.*7. *art.* 2. cum aliis pluribus, inter quos Azor. *part.* 3. *lib.*3. *cap.* 18. *quæ.*5. Graſſius *de arbitr. Confeſſ. lib.*2. *cap.*34. *num.*3.

Tertiò, haberi poteſt hoc peccatum per copulam viri cum beſtia, & dicitur Beſtialitas (quę eſt culpa major, quæ poſſit committi in hac ſpecie) hoc peccatum haberi poteſt tam à viro cum beſtia fęmina, quàm à muliere cum bruto maſculo, dummodo ſit copula. Ad hanc eamdem ſpeciem peccati reducunt Doctores copulam viri, aut mulieris cùm Dęmone, qui ſumat imaginem mulieris, ſi velit conjugi cum viro, aut viri, ſi velit conjugi cum muliere, aut cum alio viro ſodomiticè. Si primo modo per imaginem mulieris conjungatur Dæmon cum viro, dicitur Succubus, ſi verò in imagine viri conjungatur cum fœmina dicitur Incubus. Neceſſe tamen eſt, quòd notum ſit viro, aut mulieri in hoc caſu quòd ille, cum quo cõjungitur, ſit Dæmon: unde neceſſe eſt exprimere in confeſſione dictam circumſtantiam ſi occurrat (quod Deus avertat) ſicuti pariter ſi perſona humana à Dæmone repræſentata ſit conſanguinea, aut affinis, & in quo gradu, aut ſi ſit conjugata, aut virgo, quia ultra peccatum ſupradictum additur aliud intentionis juxta obiectum particulare repræſentatum. Ita communiter omnes.

Addunt denique aliqui quartũ modum, & eſt, quando modo non ordinario, & proprio, ſed improprio, & extraordinario conjungitur vir cum muliere, ita ut ſubtus ponatur homo, & ſupra mulier, ſeu mulier à parte anteriori, & vir à poſteriori, habendo tamen copulam in vaſe naturali, & proprio. Sed quia hoc aut non eſt peccatum aliquod diſtinctum, quando ſit neceſſitas, cùm aliter non pòſſit haberi dicta copula, aut tantùm veniale, quando fiat ad majorem delectationem abſq; neceſſitate ſupradicta (ſuppoſito tamen quod non ſit periculum impedimenti ad generationem, aut effuſionem ſeminis extra vas, nam in ſimili caſu eſt culpa gravis) inter hos modos hunc non numero. Verum quidem eſt Confeſſarium ſemper pœnitentem monere debere, ſi hic caſus occurrat, ut ſe abſtineat à ſimili actu cum propria uxore, ad evitandum ſupradictũ periculum effuſionis ſeminis extra vas, ſicuti etiam ad vitandum peccatum quamvis leve, quando tamen non adſit neceſſitas, ut ſupra dixi. Sylveſter, Angelus, Toled. Cajetan. Enriquez, Bonacc. & alii.

DU-

Digitized by Google

## DUBIUM III.

*De tactibus diverſis impuris.*

SAcra Congregatio pluries à me citata die 18.Martii 1666. damnavit illam opinionem aſſerentem eſſe tantùm veniale oſculum habitum ob delectationem carnalem, & ſenſibilem, quæ ex oſculo oritur, ſecluſo periculo conſenſus ulterioris, & pollutionis (quæ eſt propoſitio quadrageſima) ſuper quod formari poteſt hoc argumentum. Oſculum habitum per ſolam ſenſus delectationem ſine periculo delectationis venereæ eſt peccatum mortale. Oſculum, quod habetur per delectationem veneream eſt peccatum mortale. Ergo oſculum quod habetur per delectationem ſenſus idem eſt ac oſculũ habitum per delectationem veneream. Hæc conſequentia deducitur á ſequenti doctrina.

Quilibet tactus qui ſecum ipſo aut cum aliis habetur, quorum unus, qui eſt principalis, eſt oſculum; poteſt cauſare delectationem naturalem, quæ conſiſtit in quadam proportione, & conformitate organi tactus, cum re, quę tangitur, per quam pars ſenſitiva aut membrum corporeum experitur delectationem, & complacentiam, ut v. g. quando manus nimis calefacta magnam delectationem experitur tangendo aliam frigidam. Unde tangere, ac etiam oſculari faciem alicujus mulieris, aut viri; quando fiat ad hunc ſimplicem finem, non eſt peccatum aliquod, ſaltem grave: ſicuti delectatio, aut complacentia, quam aliquis habet non quo ad ſenſum, aut carnem, ſed quo ad voluntatem, quia oſculatus eſt virum aut mulierem in locis, ubi ita mos eſt, complacendo ſibi de illo actu non tanquam ſenſus, ſed tantùm urbanitatis: cùm non ſit expertus in hoc, neque etiam minimum motivum ſenſuale, ita ibi nulla eſt culpa. Quod ſi tactus ſecummetipſo habitus, aut cum aliis tam amplexibus, quàm oſculis cauſet delectationem veneream, & ſenſualem jam dictam, per quã cõmotis ſpiritibus caro moveatur, & alteretur: quamvis tangens præſcindat à pollutione, nec illam velit: quamvis aliquando ſequatur contra voluntatem (ſic ille exiſtimando à ſenſu deceptus) quando ſit debita advertẽtia, ſemper eſt peccatum mortale. Navarr. Cajet. Leſſius, Sanchez, Filiucc. Tamburrin. & alii.

Ex quo clarè colligitur, quòd magna ponderatione Sac. Congregatio damnavit propoſitionem illorum, qui aſſerunt, oſculum habitum cum delectatione ſenſibili tantum, ob delectationem prædictam ſenſus non eſt culpa gravis. Quia noſter intellectus poteſt præciſionem facere, ſe ipſum decipiendo exiſtimans dari poſſe delectationem ſenſus venerei in oſculo, aut tactu impuro abſque peri-



Digitized by Google

riculo pejoris conſenſus quo ad eandem ſenſualitatem veneream, aut pollutionem; non poteſt hāc præciſionem facere caro noſtra, aut appetitus ſenſitivus, qui amplectendo delectationem venereā, amplectitur etiam totum id, quod ex ea provenit uſque ad pollutionem, & conſequenter nec etiam appetitus rationalis, qui eſt voluntas, quæ in ſimili caſu ſupponitur ſeducta, & jam devicta à ſenſitivo.

Auctores ſententiæ damnatæ fortaſſe fundantur in paritate obtutuum; qui aliquando habentur erga mulieres, aut ſimilia objecta, quæ provocare poſſent ad libidinem, & tamen admittere poſſunt ſimilem præciſionem: poteſt enim aliquis intueri pulchram creaturam ob ſolam curioſitatem, & delectationem oculi, qui fruitur viſione obiecti pulchri, & quantò pulchrius eſt, tantò magis gaudet. Maſtrius *diſput.*11. *quæſt.*9. *art.*3. *num.*140. & 141. *Theologię Moral.* Sed ego reſpondeo cum communi, aut ſaltem cum ſententia probabiliori Doctorum, quòd ſimilitudo, ſeu paritas non ſubſiſtit, quia viſio non eſt ſic unita, & propinqua ſpiritibus vitalibus animalis qui moti neceſſariò movent partes corporeas, quæ provocant pollutionem; ſicuti tactus, qui ab ipſamet natura ad hunc finem ordinatur. Unde mirum non eſt, quòd aliquis illud obiectum intueatur abſque periculo ſaltem proximo conſenſus rei graviter peccaminoſæ. Sed non ita evenit tactu, per quem, ut dixi, turbati, & moti ſupradicti ſpiritus ſunt proxima diſpoſitio ad pollutionē, & conſequenter inſeparabiles à delectatione venerea peccaminoſa. Verum quidem eſt, quòd etiam obtutus non ſolùm laſcivi, qui propriè ſunt ad finem libidinoſum, & venereum: ſed etiam illi, qui habentur ex motivo ſupradicto curioſitatis poſſunt multoties eſſe graviter peccaminoſi. Ut v. g. ſi aliquis aſpiceret cum plena advertentia obiectum, quod experimentaliter ſcit, & cognoſcit, quòd illud aſpiciendo moventur ſupradicti ſui ſpiritus, à quibus provenit, ut diximus de tactu, pollutio: aut abſque dicta experientia aſpicere incipiendo ex curioſitate fixando, & continuando præfatum intuitum ſentiret motum venereum, & illum advertēdo aſpicere non deſiſteret. Hi & ſimiles omnes ſunt culpæ mortales. Ita Doctores communiter.

Excluduntur à ſupradictis regulis conjugati, quia cùm inter illos licita immò bona, & ſancta ſit copula dicti tactus, amplexus, & oſcula, quæ de ſui natura ordinantur ad ipſam, cùm ſint à natura inſtituta ad coitum, & pollutionem naturaliter tamen, non verò contra naturam habendam; ſunt inter ipſos, hoc eſt inter conjuges liciti in omni tempore tam in actu, quàm extra actum copulæ, dummodo in illis non ſit

val-

Digitized by Google

valde probabile periculum pollutionis extra vas naturale ſecuturæ. Quod ſi tactus, & oſcula prędicta inter ipſos licita ſunt, multò magis liciti erunt inter eoſdem ſenſuales, & venerei obtutus, Communis omnium ſententia hęc eſt.

Concludendum igitur, quòd præſcindendo ab uxoratis, quilibet peccat contra hocPræceptum, qui non ſolùm labitur in ſupradicta in antecedenti dubio, ſed etiam peccat culpa gravi, ſi in quacumque alia occaſione plena advertentia intellectus, & completo, & perfecto conſenſu voluntatis amplectitur, & à ſe non reiicit id, quod ſcit probabili certitudine poſſe ſe inducere ad aliquam ſpeciem ſupradictorum peccatorum luxuriæ. Unde ſi per obtutus erga quodlibet obiectum, aut per auditionem, aut lectionem cantionum laſcivarum, aut per auditionem fœminarum, aut maſculorum canentium: ſive quòd manducãdo aliquam ſpeciem cibi, aut bibendo aliquem liquorem, ſive per exceſſum in manducando aut bibendo: & denique per tactum ſui ipſius in aliqua parte ſui corporis, aut aliorum, tam fœminarum, quàm maſculorum, ſive cujuſcnmque alterius rei, quam ſcit practicè fere ſemper ex illis tactibus ſe labi in culpam gravem cõtrariam huic Præcepto, præſuppoſita tamen in omni caſu neceſſaria advertentia ſemper peccat aut mortaliter, aut venialiter proportionaliter ad advertẽtiam prędictam.

## *De Septimo Præcepto Decalogi.*

SEptimum Decalogi Præceptũ habetur expreſſum in Exodò *cap.* 20. in illis verbis. *Non furtum facies*, per quod prohibetur furtum: quamobrem in ſequentibus dubiis ſolita brevitate, & poſſibili claritate materias concernentes ad dictum furtum poſt benè conſideratam ejus definitionem, & diviſionem examinabimus. Erit igitur.

## DUBIUM PRIMUM.

### *In quo conſiſtat Furtum.*

FUrtum, quod prohibetur in hoc Septimo Præcepto aliud non eſt juxta D. Thomam 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 1. Cajetanum, & aliosDoctores communiter, quam alicui eripere id, cujus eſt legitimus Dominus animo apud ſe retinendi illud tamquam proprium invito Domino. Differt à furto rapina; non quia rapina non conſiſtat etiam in auferendo id quod ſuum non eſt; ſed quia furtum ſimplex cõſiſtit in eripiendo clàm, & abſque vi, rapina verò in eripiendo palàm, & per vim cum contemptu, & injuria Domini, notitiam cujus non curando penitùs fur illi furatur, non obſtante quòd cognoſcat hoc eſſe notum



Digitized by Google

Domino: e contrà verò per furtum ille, qui furatur, ita timet, quòd Dominus rei ablatæ illud ſciat, ut ſimplex ſuſpicio talis notitiæ eſt ſufficiens ad ſe removendum à furto. Unde rapina, ut ait S. Thomas 2.2. *quæſt.* 66. *artic.*4. cùm ſit diverſa ſpecies à furto neceſſariò exprimenda eſt in confeſſione. Ita communiter Doctores cum Bonac. *de reſtitut. diſput.* 2. *quæſt.* 8. *num.*3.

Furtum interdum conjungitur cum ſacrilegio, & eſt, quando auſertur aliquod ſacrum à loco ſacro, ut v. g. Calix ab Altari, aut ab Eccleſia: ſive aliquid non ſacrum, hoc eſt cultui Divino non dicatum ab aliquo locó ſacro, hoc eſt ab Eccleſia, Sacriſtia, Oratorio, & ſimili: ſive aliquid ſacrum à loco non ſacro, ut Pixis, Calix Planeta, & ſimilia ex aliqua officina, aut alio loco cultui Divino non dicato.

Quia quamvis furari ſecundùm ſe conſideratum ſacrilegium non ſit, attamen rem ſacram furari, in loco ſacro ſacrilegium eſt ob injuriam factam dictæ rei, aut loco ſacro: unde dicitur Furtum ſacrilegum D. Bonaventur. 3. *diſtin.* 37. *dub.*7. Facundus, Caſpenſis, & omnes paſsìm.

Advertendum eſt, quòd non ſolùm furari poſitivè, aut effectivè rem aliquam alicui, cujus ille, cui furatur, ſit legitimus Dominus, transgreſſio eſt hujus Præcepti: ſed etiam retinere in ſuo proprio dominio illud, quod ſuum non eſt, ſed aliorum, ſi habeatur de hoc clara certitudo; cùm hoc tamen quod ſit contra juſtitiam, quia ſi juſtè retineatur, nullum eſt peccatum; dum in hoc caſu quamvis illam retineat contra intentionem, & Domini voluntatem, cùm non ſit illa voluntas recta, & juſta; dici non poteſt abſolutè retenta, aut ablata contra voluntatem ipſius, cùm retinere velle id, quod aliorum eſt, ſicuti eſt voluntas injuſta in illo, qui furatur, ita ſimiliter eſt injuſta in illo, cui aufertur, ſi id, quod ei aufertur ſuum non eſt, ſed illius qui furatur; dum juſto titulo illi competit. Ita Doctores uniformiter. Unde licet in extrema neceſſitate ob rationem prædictam, & furari, & retinere id, quod aliorum eſt: quia in ſimili caſu per legem naturæ non ſolùm qui illud poſſidet, verùm etiam qui illud nō poſſidet, eſt legitimus Dominus illius, quod aufertur ab egeno, ut aſſerunt unanimiter Auctores. Sicuti quando aufertur jocosè, aut retinetur (quando tamen non ſit cum præjudicio notabili Domini) ut v. g. Si aliquis furaretur, aut retineret jocosè Breviarium alicujus, qui teneatur ad recitationem Officii Divini, & aliud non haberet præter illud, nec poſſet habere quem inveniret, qui ſibi illud aliud commodaret abſque maxima difficultate. Simile eſt dicendum quando retinetur illud aliorum cum auctoritate legitima Superioris, qui habet plenum domi-

minium in diſponendo de rebus ſuorum Subditorum, & juſta de cauſa poteſt auferre ab uno, & alteri dare. Tolet. *lib.5. cap.15.* cum aliis paſſim.

Item quando aufertur, aut retinetur res aliena ad bonum finē: v. g. ſi retineatur ad utilitatem ejuſdem Domini rei ablatæ, aut retentæ, licitum eſt, immò bonum illam auferre, aut retinere: quia in tali caſu quamvis fiat invito Titio v. g. quòd Sempronius illi auferat, aut retineat ipſius gladium, ne homicidium committat: nihilominus hoc fit propter magnam utilitatem ejuſdem Titii, cùm per hoc impediatur illi notabiliſſimum damnum. Sicuti dicendum eſt de illa muliere, quæ aufert, aut retinet apud ſe pecuniam mariti, ne ludat, aut ne illum in rebus illicitis, & domui nocivis expendat. Idem denique dicendum eſt de illo, qui aufert, retinet, aut effundit vinum, ne inebrietur Dominus illius vini ad tollendam tam in hoc, quàm in omnibus ſimilibus caſibus proximo ſuo occaſionem damni notabilis animæ, & multoties etiam corporis. Ita communiter.

Hæc eſt ratio, aut ſaltem deducitur, quòd Mancipia Turcarum, aut aliorum Infidelium poſſunt tuta conſcientia auferre, & ſub proprio dominio retinere totum id quod poſſunt, ſive pecuniam, ſive quodlibet aliud ſuorū Dominorum. Quia cùm ipſa Mancipia injuſtè in captivitate retineantur, poſſunt tuta conſcientia auferre à ſuis Dominis totum illud quod illis debetur ratione injuriæ receptæ pro ſua mercede juxta ſuam propriam conditionē, & ſervitium præſtitum, computando etiam lucrum ceſſans, & damnum emergens, quod patiūtur per abſentiam à ſua domo, & patria in propriis bonis, aut in negotiationibus, & mercaturis, ſicuti etiam totam ſummam neceſſariam ad ſuam redemptionem. Diana *part. 5. tract. 13. reſol. 98.* Albertinus *in rubric. de Hæreticis in 6. quæſt. 8.* & alii.

Secundò notandum eſt, quòd furtum, & rapina ſunt in ſe ipſis conſiderata culpa mortalis, & hoc credendum tamquam propoſitio noſtræ fidei, & habet D. Thomas *2.2. quæſt. 66. art. 6. & 7.* Unde ſcrlpſit D. Paulus *1. ad Corinthios*: Fures regnum Dei non poſſidebunt, & ratio eſt, quòd de ſui natura ſit peccatum grave, quia eſt vitium oppoſitum non ſolùm charitati, quæ nullum malum proximo tuo vult; ſed etiam juſtitiæ, quæ vult, quòd cuique tribuatur quod ſuum eſt, & conſequenter quòd illi non auferatur: quæ oppoſitio ſecundùm ſe conſiderata non poteſt dari abſque culpa gravi, ut dicunt Doctores communiter. Dixi, quòd furtum, & rapina ſecundùm ſe conſiderata ſunt peccata gravia, & mortalia; quia poteſt dari caſus quòd ex circumſtantiis non ſit culpa mortalis: ut v. g. quando non ſit totalis, &

per-

Digitized by Google

perfecta deliberatio, aut cognitio, immò ignorantia inculpabilis, quod apud ſe retentum, aut ablatum verè aliorum ſit. Seu quando retinetur, aut aufertur ad bonum finem, hoc eſt ad impediendum aliquod damnum Domini notabile, ut diximus, ſive ratione impoſſibilitatis recuperādi à dicto Domino id quod debet illi, qui apud ſe retinet id, quod illius Domini eſt, cùm pluries idē creditor pluribus modis inſtantiam fecerit de illo ipſi eidem Domino ſuo debitori, dummodo tamen illud retineatur animo reſtituendi totum, quoties dictus creditor ſuum recuperaret. Filucc. *tractat.* 31. *cap.* 10. *quæſit.* 3. *num.* 237. Navarr. *cap.* 17. *num.* 4. *& ſequent.*

Denique ſi materia, quæ aufertur, aut retinetur, non ſit ſufficiens ad culpam gravem conſtituendam, dictum furtum, aut rapina non ſunt peccata mortalia. Sicuti eveniret in caſu, quòd res ablata, aut retenta non eſſet allatura aliquod damnum notabile ſuo Domino. Unde unum Iulium diviti ablatum nō eſt materia culpæ mortalis, ſicuti eſt pauperi ablatum: immò acus, quæ eſt minima materia viliſſimi pretii, ſi auferatur Sutori, qui ita pauper ſit, ut nullam aliam habeat, immò nec etiam modum, & poſſibilitatem aliam emendi: aut etiamſi habeat poſſibilitatem illam emendi, commoditatem non habet, cùm ſit in loco, ubi non invenitur, quamobrem cùm non poſſit ſuere in extrema neceſſitate remaneat. Idem evenit in aliis caſibus, in quibus ratione materiæ ablatæ, aut retentæ nullum peccatum cōmittitur, ſed ratione circumſtantiarum, hoc eſt perſonæ, v.g. cui ſit injuria per furtum, damni quod provenit ab ipſo, pœnæ ipſi furto impoſitæ, quæ in aliquibus locis ratione gubernii eſt gravis, quamvis, materia furti ſit ferè nullius valoris; & denique intentionis furandi rem notabilem, quamvis latro furatus ſit rem parvam ratione incommodi in furto faciendo, parùm furando, ſive in quantitate, ſive in qualitate, hoc eſt ſive rem parvam, ſive paucas res animo tamen ſemper furandi multò plus, quando commodum habebit. Ratione igitur ſupradictarum, & aliarum ſimilium circumſtantiarum, quamvis materia furti ſit inſufficiens ſecundùm ſe; evenit ex ipſis culpa mortalis, ut habet D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 66. *art.* 6. *ad* 3. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 15. & communiter Auctores. Quamobrem Confeſſarius valdè cautus ſit in interrrogando pœnitentem de his caſibus ſimilibus.

Ex quo colligitur, quòd ille qui pluries furatus eſt res parvi momenti ut unum fructum, ſive pomum, aut pugillum frumenti, palmam panni, aut telæ, unum panem, unum, aut duos calices vini, aut ſimilia: quamvis numquam habuerit intentionem quoties furatus eſt plus furandi: ſi ex-

om-

Digitized by Google

omnibus illis rebus quamvis parvis fit materia ſufficiens pro culpa gravi extra caſum neceſſitatis, peccatum mortale committit. Ita Bonacc. *diſput. 2. quæſt. 8. punct.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 8. Talon, Vaſquez, Valentia, & alii communiter. Et ratio eſt, quia non obſtante, quòd ſit parvi, aut nullius momenti damnum allatũ particularibus Dominis ex dictis furtis, notabile tamen eſt illud, quod ex illis provenit Reipublicæ, ſeu Communitati: nam quilibet mercatorum, aut venditorũ ex illo parvo, quod ipſis fuit ablatum rationabiliter ſuſpicarentur de majori, ut probat Sanchez in *Opere Morali lib.* 7. *cap.* 21. *n.* 12. quare diſcendentes ex illo loco, ubi ſunt mercatores, aut venditores prædicti, privaretur idem locus omnibus neceſſariis pro victu, ex quo provenit, quòd Communitates dopopulatæ deſtruuntur. Item colligitur, quòd graviter peccat, qui furatur ab uno tantùm, aut à pluribus perſonis pluries tantùm, ex quo poſſit argui collegiſſe ſummam ſufficientẽ ad culpam mortalem. Idem reſpectivè dicendum eſt de pluribus perſonis, quę furentur uni tantùm: quia quamvis quilibet illorum unicè conſideratus ratione parvæ materiæ, quam furatur, ut ſuppono, particulari ſupradicto, peccet venialiter; conſideratus tamen prout cum aliis unitus, cum quibus concorditer furatus eſt Titio v.g. evadendo illa materia, quę ſecundùm ſe ſeparatìm conſiderata parva erat, valdè notabilis unita, cum aliis parvis ablatis fit ob damnum notabile, quod ex eo recipit Titius ſupradictus ab omnibus illis indiſtinctè; peccat mortalitèr. Navarr. *lib.* 3. *de reſtitutione cap.* 1. *num.* 49. Mollina *dec.* 689. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 12. *dub.* 9. Azor. 3. *par. lib.* 5. *cap.* 13. *quæſt.* 5. Turrian. *diſp.* 35. *dub.* 4. Sanchez *lib.* 9. *cap.* 21. *uum.* 59. Filuc. *tract.* 40. *num.* 248. *&* 249. Vaſquez, Bonac. & alii.

Non ſunt immunes, & exempti ab hoc peccato cohabitatores, ſeu domeſtici, ſive ſint conſanguinei, ſive affines, familiares, ſeu ſervi, ſi furentur aut diſſipent bona propriæ domus: unde furando iſti, aut diſſipando rem domeſticam notabilem peccant graviter; parvi verò momenti leviter peccant. Ita Auctores uniformiter. Ex quo deducitur, quod Pater diſſipando bona domus in notabili quantitate, peccat mortaliter ob grave damnum, & injuriam, quæ ex dicta diſſipatione reſultant tam uxori quàm filiis. Idem dicendum reſpectivè de uxore, filiis, aut famulis, ſi furantur in domo contra voluntatem mariti, patris, aut Domini: neque excuſat dicere, quod filio tamquam heredi, & uxori tamquam conſorti in adminiſtratione bonorum domeſticorum debetur donum ipſorum bonorum, & conſequenter non peccent contra hoc Præceptum peccato furti utendo illis pro ſua ſatisfactione,

&be-

Digitized by Google

& beneplacito independenter ab ipſis: quia filius non eſt Dominus niſi bonorum caſtrenſiũ, ſeu quaſi caſtrenſium; hoc eſt bonorum ab illo in bello acquiſitorum, ſeu ex propria induſtria adeptorum, non autem aliorum dominium, & uſusfructus, quorum ſolùm eſt patris uſque dum filius ſit ſub paterna cura, & gubernio, ut habẽt communiter Doctores cum Bonac. Idem dicendum de uxore, quæ quamvis habeat dominium bonorum paraſrenariorum, quæ ſunt illa, quæ ipſa ſibi reſervavit pro ſuo caſu ultra dotem, & alia, quæ propria induſtria ſibi aquiſivit: attamen non habet dominium, neq; adminiſtrationem, ſive uſum aliorum, quæ cum uſufructu eorundem debentur marito, prout habetur in jure, & affirmat Navarr. *cap.* 17. *num.* 151. Graffius *lib.* 2. *part.* 1. *cap.* 6. Molin. Bonacc. & alii. Ex quo infertur, quòd auferendo uxor marito, aut filius patri quantitatem ſufficientem bonorum prædictorum, ipſi non cõpetentium ad culpam gravem, ambo peccent mortaliter. Sic communiter omnes.

Eodem modo reſpectivè diſcurrendum eſt de Religioſis. Famulis, & alii domeſticis, qui auferunt nummos, & alias res Conventus, & domus, cùm hoc tamen quòd ſi dictæ res à ſupradictis auferantur propter neceſſitatem propriam tantummodò, non eſt peccatum aliquod: immò idem currit de omnibus. Et ratio eſt clara, quia ſupradicta non auferuntur contra voluntatem Domini, quo ad rem ablatam, ſed tantùm quo ad modum: quia in hoc caſu neceſſitatis non aufertur cõtra voluntatem Domini, aut illius, ad quem pertinent adminiſtratio, qui venit etiam ſub eodem nomine Domini, quo ad rem ablatam, dum in caſu neceſſitatis quilibet eſt Dominus, ut habet Ius commune, ſed tantùm quo ad modũ, hoc eſt manifeſtè, aut abſconditè; cum facultate expreſſa, aut non ſupra quo videre retinere ſuam auctoritatem ſupradictus Dominus in ordine ad ſupradictos ſibi ſubditos, aut ſuperior in ordine ad Religioſos. Quod cùm ita ſit, ille, qui ita aufert, non peccat graviter, ſed leviter, cùm ſit parvi momenti circumſtantia. Nec dicas, quòd dari poteſt caſus, in quo ſupradictus Dominus, aut Superior nullo modo velit quòd auferatur aliquid: quare ſi auferatur etiam in caſu neceſſitatis contra illius voluntatem, tam quo ad rem ablatam, quàm quo ad modum, & conſeqaenter ſit furtum cum peccato gravi. Quia non ſufficit, quòd ſit ſimpliciter contra voluntatem prædictorum ablatio rei, ſed ulterius neceſſariò requiritur, quòd ſit contra voluntatem, rectam, & juſtam eorumdem, quod non ita eſſet in caſu ſupradicto neceſſitatis. Debet ſolùm hic adverti, quòd neceſſitas debet eſſe propria tantùm, non verò aliorum, ut ſit legitima excuſatio



Digitized by Google

cuſatio peccati furti. Unde alicui furando aliquid, ut alteri detur, etiamſi in neceſſitate poſito, peccatur graviter. Navarr. Clavis Regia *lib.9. cap. 16. num. 27.* Filiuc. *tract.28. cap.3. quæſt. 3.* Bonacc. & alii.

## DUBIUM II.

*Quot modis poſſit tranſgredi hoc Pręceptum.*

EX dictis in antecedenti dubio infertur, & colligitur. Primò, quòd peccāt contra hoc Præceptum omnes, qui injuſtè imponunt vectigalia, aut alia ſimilia oneroſa, quod evenit quando ille, qui dicta imponit, auctoritatem non habet illa imponendi, cùm ſit ſubordinatus alteri Dominanti, ut ſunt Proreges, ſeu quamvis habeat auctoritatem tamquam Princeps, & Dominus independens imponit dicta vectigalia nō propter neceſſitatem publicam, ſed ad propriam commoditatem privatā. Dixi commoditatem, quia imponendo illa ob ſui neceſſitatem, decus, & dignitatem: quia hoc ordinatum bonum eſt ad utilitatem Communitatis, & conſequenter licitum: aut denique quia non imponuntur ſecundùm rectum, & prudentem ordinem, per quem gravetur pauper, qui aut non poteſt ſolvere vectigalia, ſeu tributum ullo modo, aut non poteſt tantùm ſolvere quantum ſolvit dives. Quamobrem eximi debet omninò pauper à dicto gravamine, aut non onorare dictum pauperem tantùm, quantùm divitem. Quia autem tales cauſæ hujus culpæ, quæ eſt graviſſima, non poſſunt abſolvi abſque debita reſtitutione, valdè cautè procedere debent Confeſſarii, in abſolvendo illos abſque firma, certa, & ſtabili eorumdem promiſſione de reſtituendo. Salas *de Legibus diſp.15. ſect.10. n.118.* Vaſquez *in Opuſc. cap.6. §. 1. dub. 1. & 3.* Suarez *de Legib. lib.5. cap.16.* Leſſius *lib.2. cap. 33.* quos citat Bonaccina *de Reſtitut. diſp.2. quæſt. 9. punct.1. num. 2.*

Secundò, colligitur contra hoc Præceptum peccare, qui emendo, aut vendendo utitur dolo, & fraude, ſive vendendo unam rem pro alia, ut v.g. aurum alchimia elaboratum pro vero, & naturali auro: aut decipiendo in pondere, aut menſura, ſive in numero rerum venditarum: aut in pretio vendendo rem notabiliter plus, quàm valet, aut emendo eamdem minus, quam valet: & hoc totum cum dolo, & malitia venditoris, aut emptoris, dum abſque dicto dolo non eſt culpa, ſaltem gravis, item qui aliquod vendit imperfectam ut perfectum, & bonum abſque eo quod manifeſtet rei defectum emēti. Qui cogit minis aut incutiendo timorem alicui ad aſſentiendū alicui Contractui illicito, & præjudiciali eidem. Et denique peccant contra hoc Præceptum omnes illi, qui tenentur ad reſtitutionem

nem, niſi exceptuentur, nam dantur aliqui caſus, in quibus quamvis aliquis non peccet contra hoc Præceptum, tenetur nihilominus ad reſtitutionem, ut dicetur infra: Ita omnes Caſuiſtæ communiter. Tertiò, infertur tranſgredi idem Præceptum à Prælatis, Superioribus, aut aliis ad quos pertinet diſtributio officiorum ſeu dignitatum; ſi illas non diſtribuant juxtà meritum, & habilitatem ſupradictis proportionatam, incurrendo in eamdem culpam electores, ſi eligant ad aliquem gradum tam Eccleſiaſticum, quàm ſecularem indignum, aut in Concurſu alterius dignioris minus dignum: debet autem putari magis dignus in hoc caſu aliquis non tantùm ratione morum, & bonarum qualitatum perſonarum reſpicientium propriam perſonam, in qua ſunt, ſed tantummodo ratione requiſitorum neceſſariorum ad officia, & dignitates, quæ ſunt illa; quæ reſpiciunt bonum commune Reipublicæ, quæ conſtituunt ſubiectum, in quo ſunt, dignum, & reſpectivè magis dignum in concurſu illius, qui aut illis privatus, aut illa non habet in illo gradu perfectionis, in quo ipſe illa poſſidet. Verum quidem eſt, quòd hoc debet intelligi, quando ſupradicti, ad quos pertinet diſtributio, non ponant totam diligentiam poſſibilem requiſitam ad indagandas ſupradictas qualitates illorum, qui debent eligi, aut quibus diſtribuenda ſunt officia, ſive dignitates. Et ratio eſt, quia cùm electores aut Superiores non ſint Domini, ſed ſimpliciter diſtributores, aut diſpenſatores bonorum Communitatis, ſive Eccleſiaſticę, ſive ſæcularis, non debent, nec poſſunt illa diſtribuere illis, quos ſciunt illa exercircituros indignè. D.Auguſtinus ad Bonifacium Comitem *epiſt.* 50. & refertur 12. *quæſt.* 1. *cap. Si primatur*: ubi gloſſa ait. Eccleſiam tenere locum pupilli, & Prælatum tutoris. Cardinalis de Lugo *de Juſtit.& Jure diſput.*34.*ſect.*1.

Idem evenit Epiſcopis, aut aliis Prælatis, qui deſtribuunt bona Eccleſiæ non pauperibus, aut illa non diſpenſant ſuis ſubditis, ſi ſunt Superiores, & Prælati Regulares, ſed illa diſſipant in ludis, luxibus, aut crapulis, ſeu in rebus illicitis, & inhoneſtis. Immò peccant contra hoc idem Præceptum ſupradicti Superiores, & Pręlati reſpectivè, ſi non provident propriis Subditis juxtà eorum neceſſitates, tam in communi, quàm in particulari; cùm ipſi teneantur non ſolùm diſtribuere bona ſuarū Eccleſiarum, Conventum, Domorum, & Monaſteriorum ſuis Subditis; ſed cum hac attentione particulari, ut ſupra dixi, tractando de voto paupertatis, de Superioribus Regularibus, quod eſt communis omnium ſententia.

Tandem deducitur, quòd non ſolùm peccant contra hoc Pręceptum illi, qui nocent Proximo ſuo in perſona, morte, vulneribus, falſis

ſis accuſationibus, teſtificationibus, ſive inſtrumentis: aut in facultatibus incendio Civitatum, Terrarum, Oppidorum, Agrorum, Domorum, &c. etiam ratione belli, injuſti tamen. Nec tantùm illi, qui reperiendo rem aliquam, tamquam propriam illam apud ſe retinent abſque eo quod diligentiam adhibeant ad inveniendum ipſius Dominum: neque ſolummodò qui retinent, aut differunt, abſque juſta de cauſa ſtipendium Miniſtro, Famulo, ſeu Mercenario, aut aliam debitam ſolutionem ſuis legitimis crepitoribus: (quod totum eſt culpa gravis aut levis, major, aut minor juxta quantitatem materiæ) non ſolùm inquam ſupradicta, ſed etiam Uſurarii peccant contra ſupradictum Præceptum, hoc eſt illi, qui mutuas dantes res, quæ uſu conſumuntur continuò ut vinum, oleum, frumentum, &c. aut nummos, volunt pacto tacito, aut expreſſo rem aliquam ultra ſupradictas, aut alios nummos ultramutuatos, tãtùm cauſa mutuati: quia dum aliquis reſtituit rem mutuatam in integrum: recipiendo ab illo, cui mutuati tantùm tempus, quo mutuans privatur, cùm impoſſibile ſit, quòd re mutuata fruantur eodem tempore, & ille, qui eam mutuavit, ac ille, cui mutuata fuit (aliàs poſſent ambo bibere idem vinum, & expendere eamdem pecuniam mutuatam, v. g. quod eſt impoſſibile) id, quod plus daret, eſſet pro ſolutione dicti temporis, quod non debet ullo modo admitti; quia nemo poteſt vendere tempus, quod non eſt tantummodò ſuum, ſed omnibus commune. Ita Concilium Agatenſe refertur 14. *quæſt. 3. cap. Uſura 4. in ordine*. Sed pro majori, & diſtinctiori intelligentia totius dicti in præſenti dubio obſerventur ſupra eodem Præcepto. Sit igitur.

## DUBIUM III.

*Quis teneatur ad Reſtitutionem.*

Antequam reſolvamus hoc dubium notandum eſt, quòd reſtitutio, ut explicat D. Thom. Navarr. Medin. & alii communiter, eſt actus juſtitiæ, per quem aliquis reſtituit legitimo Domino id, quod ei injuſtè abſtulit, aut quod illius retinuit, compenſando damnum, quod per dictum furtũ, aut injuſtam retentionem illi accidit. Secundò, quod dictum damnum tripliciter evenire poteſt, aut ut melius dicam, triplici ratione. Aut quia aliquis retinuit illud alterius perſonæ, v.g. annulum, Breviarium, & ſimilia abſq; ſcrupulo peccati, putando eſſe ſuum per ignorantiam inculpabilem; aut apudſe retinendo hæreditatem bona fide putans, quòd ipſemet ſi verus Dominus illius. Aut quia injuſtè illud abſtulit, ſive per furtum, ſive per rapinam, ſeu uſuram, ſeu quocumque alio

modo illicito. Aut denique ratione damni gravis aliis illati abſque eò quòd aliquid ablatum ſit alteri, v. g. Titius occidit canem venaticum Sempronii, aut cædit arborem fructiferam ejuſdem; Titius nõ aufert in hoc caſu aliquid Sempronio, ſed illi magnum damnum affert per canis, & arboris privationem, cùm privetur fructu arboris, & canis venatione. Ex omnibus his dictis, & notatis colligitur.

Primò, quòd ubi non eſt damnum aliquod Proximo illatum; quamvis ibi ſit peccatum, non tamen eſt obligatio reſtitutionis: nam ut diximus, cùm reſtitutio ſit aliqua compenſatio damni illati, ubi illud non eſt, reſtitutio locum non habet ſaltem quo ad fõrum internum, aut in conſcientia.

Secundò, quòd quamvis nulla ſit culpa, ſi Proximus remanet offenſus, & damnificatus primo modo, hoc eſt per retentionem rei alicujus, putando ille, qui retinet eſſe ſuam, ut diximus, debetur reſtitutio illius, quod retinetur, quando habetur Domini legitimi illius notitia; quod bona fide retinebatur. Quod ſi poſt dictam notitiam perſeverat in retẽtione illius, ut antea bona fide retinebat aliquis: non ſolùm tenetur ad reſtitutionem, ſed etiam eſt in continuo peccato, uſque dum reſtituat: quia non retinetur amplius bona fide illud ut priùs per notitiam ſupervenientẽ. Tolet. *lib.* 5. *c.* 17. Molin. *tom.* 3. *tract.* 2. & alii.

Tertiò, quòd quamvis aliquis neſciret, quòd ipſemet non eſt Dominus legitimus illius, quod habet, & poſſidet, quando teneatur ſcire illud, & quærere debitas informationes, & notitias illius, & illas non quærit, eſt in ſtatu culpæ, & ad reſtitutionem tenetur, ut v.g. Ego invenio unam crumenam denariis repletam, nullam adhibeo diligentiam ad inveniendum Dominus illius, prout facere teneor; non poſſum illam retinere abſque ſcrupulo culpę, quamvis Dominum ignorem. Sotus *lib.* 5. *quæſt.* 3. *art.* 3.

Quartò, quòd ſi notum ſit, rem eſſe alienam, quia ablata fuit aliquo modo illicito, ut diximus, peccatur, & currit obligatio reſtitutionis, ſi res ablata ſit materia culpæ gravis. Maſtrius *diſp.* 9. *quæſt.* 2. *art.* 1. *num.* 27.

Quintò, quòd quicumque cooperatur ad grave damnum proximi ſive jubendo, ſi non expreſſis verbis ſaltem præbendo ſigna talia, quòd Famulus, aut alius à ſe dependens, inferat, & intelligat, quòd ſuus Dominus, Princeps, aut alius hujuſmodi velit, & deſideret exequi gravem injuriã, & offenſam contra dictum proximum, à quo futurum ſit damnum ejuſdem proximi notabile, ex quo movetur dictus Subditus, Servus, aut dependens ad executionem totius; ſive conſilium dando, & inducendo damnum precibus, aut promiſſis; dummodò non retractetur ante executionem, & opus à di-

Digitized by Google

dicto conſilio. ( immò idem Confeſſarius, qui per ignorantiam dicit pœnitenti, ipſum non teneri ad illud, quod dicetur ) aut conſentiendo quolibet modo idem damno, aut blandiendo damnificatorem, ſive præbendo illi auxilium, aut illum defendendo, ſive auſi ſit complex in delicto, à quo provenit damnum: ſive non reprehendendo, neque conſilium dando ne comittatur præfatum delictum', cùm reprehendere teneatur delinquentem: immò diſſimulando, ſeu fingendo ſe illum non videre: aut non manifeſtando illum, ſi ad hunc finem vocetur, aut interrogetur tamquam teſtis in judicio, aut ſi teneatur alio titulo ad illum manifeſtandum ( excepto Confeſſario, qui cùm habuerit de illo in confeſſione notitiam, nõ poteſt illum revelare ſub quocumque prætextu abſque culpa gravi. Quilibet inquam in aliquo ex ſupradictis modis cooperatur ad damnum Proximi, ita ut ex rebus jam dictis proveniat eidem Proximo damnum notabile,& pro certo habeat, quòd dictum damnum ſecutum ſit;tenetur unà cùm illo, qui exequitur injuriam ad reſtitutionem. Vide D. Thomam *quæſt.62. ar.6. & 7.* ac Bonaccina *qu.2. punct.3. num.1.*

Sextò, quòd quando plures ſimul cauſent damnum notabile,ſive in rebus, ſive in honore Proximo ſuo, interdum omnes tenentur, cuilibet tamen pro ſua rata, aliquando verò quilibet illorum ad integram reſtitutionem totius, quod à Doctoribus vocatur inſolidum: quia ſi quilibet à ſemetipſo abſque conſenſu alterius damnum cauſavit, & caſu unus ex illis complex fuerit dicti damni abſque eo quòd inter hunc, & illos aliqua fuerit intelligentia; quilibet tenetur ad reſtitutionem illius damni portionis cauſati ab ipſo. Si verò omnes de communi conſenſu, & intelligentia illud cauſaverint, omnes ſeparatìm, hoc eſt, quilibet per ſe ipſum tenetur ad integram reſtitutionem, ita ut ſi damnum non fuit compenſatum per debitam reſtitutionem ab aliquo ex illis, tenetur alter: & ſi facta fuit reſtitutio ſecũdùm partem, ſi ille totam compenſationem non complet, quilibet illorum tenetur ad complementum, quia illorum quilibet in ſimili caſu intelligitur totum cauſaſſe, quamvis non ita ſit, dum cauſata fuit illa damni portio per mutuum auxilium cujuslibet illorum,unde quilibet illorum interpretativè intelligitur concurriſſe ad totum damnum, quamvis in effectum non cauſaverit niſi unam portionem. Layman, Vaſquez, Navarr. Molin. Leſſius, Filucc. Abellius, & alii.

At verò quia dictum damnum à multis cauſatum poteſt eſſe cauſa aliquando acquiſitionis alicujus rei ipſimet, qui illum cauſant, aliquando verò non, ut v. g. qui furatur Proximo ſuo nocet per amiſſionem rei ablatæ, ſed ſimul ſibime-

metipſi utilitatem ratione lucri dictæ rei. E contra verò qui incendit aliquem domum, aut ſylvam alicujus, ſive aliquem percutit, ita ut illum occidat, ſeu privet aliquo membro, aut ſaltem illud reddat inhabilem ad ſe movendum, ſicuti etiam qui offendit ſuum Proximum in forma per detractionem: hi omnes damnum inferunt aliis: ſed ex illo damno non provenit alicujus rei acquiſitio permanentis iiſdem. Si res acquiſita in furto ſupradicto apud aliquem ex illis qui fuerunt complices remanet; tenetur in primis ipſemet illam reſtituere, quòd ſi illam vendidit, aut conſumpſit, reſtituere debet aliam æquivalentem: ſi autem ipſe dictam rem non reſtituat, tenentur alii quilibet pro ſua rata. In ſecundo autem caſu priùs, & ante alios tenetur ad reſtitutionem qui præcepit, aut qui alio modo fuit cauſa primaria, ſeu primarius executor damni, & non compenſando hic dictum damnum, tenentur alii minùs principales, quilibet tamen pro ſua rata ſi poſſunt. In detractione tamen tenentur omnes ad integram reſtitutionem, nam fama non habet partes, ſed conſiſtit in aliquo eſſe indiviſibili. In caſu verò quòd damnificatus condonet debitam reſtitutionem illi, qui principaliter intulit damnum, neque iſte, neque alii minùs principales tenentur. Quòd ſi ex oppoſito illa condonetur minus principalibus, non remanet exemptus ab ipſa major principalis; quia Acceſſorium ſequitur principale, ſed principale non ſequitur Acceſſorium, Leſſius *lib.2. cap.9. dub. 3. num.* 28. Faber *diſput.* 50. *cap.2. num.*20. & 30. Clavis Reg. *lib.*10. *tract.2. cap.*15. *n.*16. Vanes, & alii fundati in Iure.

Septimò, colligitur, quòd etiã tenetur ad reſtitutionem qui impedit conſecutionem rei alicui debitæ ex Iuſtitia: non tenetur tamen quando ponit obſtaculum ſine violentia tamen, fraude, & calumnia ad conſecutionem illius, quod conferendum eſt ex gratia; ſimplici conſilio, aut precibus ſuadendo illi, qui vult conferre illam dictam rem alicui, ut illam velit alteri conferre; quamvis ſit minùs illo dignus; etiamſi multoties poſſit in hoc eſſe peccatum etiam grave ratione pravæ intentionis, & mali finis illius, qui impedit, ut dixi. Bonaccina *punct.*12. *num.*2. Rebellus *lib.* 3. *de Reſtitutione quæſt.*1. Azor. 3. *part. lib.*4. *cap.* 4. Salon. 2.2. *quæſt.*62. *art.*2. Bannes *ibidem dub.* 12. Turrian. *diſp.*16. *dub.* 1. Quòd ſi ille talis ponit ſupradictum impedimentum violenter, fraudolènter, aut per calumniam petitioni alicujus rei, ſcilicèt Beneficii, v.g. aut conſecutioni ipſius. Dummodò ille, cui conferendum eſt, ſit illo dignus; tenetur ad reſtitutionem damni, quod provenit à dicto obſtaculo ad arbitrium Confeſſarii, aut alterius viri prudentis. Leſſius *lib.*2. *cap.* 12. *dub.* 18. *num.* 125. cum

Azo-

Digitized by Google

Azorio, Turriano, Salonio, Bannes, & aliis.

Octavo, quòd quando bona ablata ſunt certa, hoc eſt Domini certi, & benè cogniti debent reſtitui eidem Domino, cui fuerunt ablata, & cui illatam fuit damnum, aut illi provenire poteſt. Unde ſi furtum factum fuit non principali Domino, ſed ejus Depoſitario, aut alteri Miniſtro; quia damnum eſſet hujus, qui debet rationem reddere, non autem Domini; huic non autem illi reſtitutio facienda eſt. Poterit nihilominùs abſque aliquo ſcrupulo fieri reſtitutio proprio Domino, non verò Miniſtro; quando non ſit futurum detrimentum aliquod dicto Miniſtro per dictam reſtitutionē: immò hoc modo debet fieri, quando ſit probabile fundamētum credendi, quòd ſi fiat reſtitutio alio modo ſupradicto ex illa damnum grave proveniat Domino. Unde ſi bona ſint ablata alicui Prælato, aut Subdito ambobus diſſipatoribus; ablata Prælato debent reſtitui non Prælato, ſed Capitulo, illa verò, quæ ablata fuerunt Subdito, non illi Subdito reſtituenda ſunt, ſed Prælato, ſi bonæ famæ ſit, quia ſi malæ in hoc genere, fieri debet alteri Superiori bonæ famæ, ſeu Capitulo Domus, Conventus, Monaſterii, &c. Idem dicendum eſt de familiæ filio in ordine ad patrem, & uxore in ordine ad maritum, & ſimilium reſpectivè D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 5. Sertus 4. *diſtinct.* 15. *qu.* 2. *art.* 4. §. *de Quarto*. Sanchez *de Reſtitut.* Immò Doctores communiter cum Bonac. *de Furto filiorum diſput.* 2. *qu.* 10.

Si verò dicta bona ſint incerta, hoc eſt non ſit notus ipſorum Dominus (& idem dicitur de rebus inventis) ſive poſſibile non ſit nec per ſe ipſum, nec per alios ad illum accedere; in hoc caſu ſi illud, quod aliorum eſt, retineatur, aut obtentum ſit abſque culpa, ſive caſu adinventum, poſt debitam diligentiam adhibitam ad illum inveniendum: ſive certum ſit per errorem, & inadvertentiam; v. g. plus juſto à mercatore, ſi eſt pannum, aut res ſimilis; ſive pecunia ab aliquo venditore, aut emptore vendendo, aut in emendo. Si impoſſibile ſit invenire in his caſibus Dominum, venditorem, aut emptorem; aliqui volunt, quòd dicta bona, ſeu aliquod poſſit retinere apud ſe, ſed tutior opinio eſt, quòd pauperibus diſtribuatur. Quòd ſi ſupradictum ſit cum fraude, uſura, aut alia malitia, teneris omninò omnia pauperibus diſtribuere, ſeu aliqui loco pio cum non poſſit tuta conſcientia illa retinere apud ſe. Non eſt tamen ita dicendum, ſi damnum eſt commune alicui Civitati integræ, Terræ, aut alicui ſimili loco (v. g. ſi in vendendo fraudaſti pluries magno perſonarum numero habitantium in dicta Civitate, aut Terra etiamſi parum pro qualibet vice notabilem ſummam) quia tunc non compenſatur damnum compen-

penſare Communitati dictorum locorum cum argumento vendendo pro alio tempore æquivalenti tantò minùs ſuam mercaturam in dictis locis, ut poſſint emptores compenſari de illo damno ſibi illato. Sot. Petrus Navarrin. Diana, Layman, Leſſius, Aragonius, & alii apud Maſtrium *quæſt.2.art.3. num.14.* & alii paſsim.

Nonò, quòd quando Dominus eſt diſtans nimis, & non poteſt ei mitti id, quod apud aliquem retinetur, & poſſidetur cum conſciẽtia culpę gravis abſque incommoditate, & diſpendio pecuniæ; tenetur poſſidens illud mittere expenſa poſſibili ex ſuis facultatibus proportionata abſque præjudicio tamen ſaltem notabili proprii neceſſarii. Ita Leſſius, Vaſquez, Clavis Reg. Rebell. Amicus, Caſpenſis, & alii cum Maſtrio ibidem ut ſupra.

Decimò, quòd in caſu, quo aliquis diſtribuerit pauperibus, eò quòd Dominum ignoraverit aliquod ablatum: ſi poſtea ſciat dictum Dominum; ſi priùs non adhibuerit debitam diligentiam ad illum inveniendum, non obſtante dicta retributione tenetur reſtituere: non autem tenetur, ſi præmiſit, & adhibuit illam. Toletus *lib.5. cap.* 23. Sylveſter verbo *reſtitutio*, Filiucc. *tract.32. cap.14. num.44.* & Navarrus *cap.* 17. *numero* 30.

Undecimò, ſi mutuata, depoſitata, pignorata, aut alio modo juſtæ conventionis data alicui aliqua denariorum ſumma, aut aliquod aliud ſtabile ab eo, qui illius erat poſſeſſor bonæ fidei habendo illius dominium firma credulitate, quod ſuum eſſet, quamvis non eſſet ſuum, hic talis ſi de hoc habeat notitiam totum debet reſtituere non vero, & proprio Domino, ſed illi, qui cum bona fide poſſidebat. Si vero aliter obtentum ſit illud, debet proprio Domino reſtitui. Ita communiter.

Duodecimo, quod quando emitur aliqua res ablata, ſive ſit malæ, ſive bonæ fidei, hoc eſt quod exiſtimetur ablata, aut non; ſi notum fiat cujus ſit, reſtitui debet non furante Domino, qui ſi emptor illam emit animo reſtituẽdi ei, qui eſſet illius Dominus habita de eo notitia, debet eidem emptori prætium reſtituere, quo illam emit, quando tamen dictum pretium ſit minus, & non æquivalens rei ablatæ; in præmium, aut compenſationem ſimplicem operis facti in ſuam utilitatem: ſi autem prætium ſit æquale rei ablatæ ſupradictæ, tenetur Dominus tantùm emptori reſtituere in compẽſationem, aut pręmium illud, quod juſtum exiſtimabitur à viro perito, & prudenti: quia non tenetur Dominus rem ſuam emere, ſed illam ubicumque ſit ſumere: nam ubicumque ſit, ſemper ſua eſt. Ita Azorius, Major, Medina, Sotus, & alii.

Tertiodecimo, quod ſi aliquis bona fide emit rem ablatam, quæ poſteà ab eodem vendita fuit uni ter-

Digitized by Google

tertio; ſi Dominus gravat emptorem illius, ille idem tenetur reſtituere pretium ejuſdem rei eidem emptori, & ipſe emptor venditori conſignare rem malè emptam,non autem Domino: ut poſſit etiam ipſe venditor recuperare pecuniã, ſeu pretium, quo illam emit, eam eidem vẽditori reſtituendo. Quòd ſi emptor dictam rem Domino illius reddidit, non tenetur venditor ad reſtitutionem pretii, cùm per hoc dictus emptor impediverit venditori recuperationem rei venditæ. Ita communiter.

Quartodecimò, quòd res adinventæ, quamvis ſint theſauri, ſi ſunt derelictæ,& abſque Domino, ſunt primò occupantis: quando tamen conſuetudo, aut lex particularis loci illius, ubi inveniuntur, non ſit contraria: quia in tali caſu utraque eſt obſervanda; & non ſervata tenetur inventor ad reſtitutionem illarum illi, cui debetur juxta dictam conſuetudinẽ, aut legem. Maſtrius *diſput.*3. *artic.*1. *&* *diſputat.*7. *quæſt.*2.*art.*3. *num.*56.Præda verò facta in venatione juſtè prohibita à Principe debet reſtitui juxta modum ſupradictum; cùm hoc inſuper quòd nõ ſolùm tenetur venator culpabilis ad dictam reſtitutionem:ſed etiam ad compenſationem damnorum notabilium Dominis prædiorum, ſeu poſſeſſionum illatarum,in quibus venatus eſt, quando tamen dicta damna illata ſint,& non aliter. Toled. *lib.*5. *cap.*19. Filiucc. *tract.*31. *cap.*6. *quæſt.*5. *num.* 142. Govarruvias *Regula peccatum* 1. 2. §.8. *num.*21. *contra Vaſquez,&* *Turrianum.*

Quintodecimò quòd cum vendita, donata, conſumpta, ſive amiſſa aliqua res aliorum ſit; ſi ille, qui eam retinebat, erat bonæ fidei poſſeſſor, non tenetur ad reſtituendum niſi id, quod plus acquiſivit, ſi ita ſit, per illam. V.g. Titius cùm ebiberit unum cadum vini Sempronii, putans eſſe ſuum, prætii trium nummorum aureorum, alius pro ſe remanſit,de quo ſolitus erat bibere prætii quindecim Iuliorum; tantùm tenetur ad reſtituendum Sempronio quindecim julios. Quòd ſi erat poſſeſſor malæ fidei, ſciens non eſſe ſuam, tenetur reſtituere æquivalens.Covarruvias *regula peccatum* 1. 2. *num.*1. Petrus Navar.*lib.*4. *cap.*1. *num.*10. Leſſius *lib.*2. *cap.*12. *dubium* 15. Valentia *tom.*3. *diſp.* 5. *quæſt.*6, Clavis Regia *lib.*10.*tr.*5. *cap.* 8. *num.* 14. Bonac. & Filiuc. *tract.* 32. *cap.* 4. *quæ.* 1. *num.* 83. Emanuel *à verbo reſtitutio nu.*28. & alii plures.

Decimoſextò, quòd obligatio reſtituendi obligat ad reſtitutionem pro tempore, quo prius erat commoditas, ita ut illud differendo non ſolùm eſt in peccato, ſed redditnr obligatio nova compenſandi damnum ex illa datione illatum. Ita Doctores communiter.

Decimoſeptimò, quòd habendo quis in cuſtodia, aut depoſito aliquid; ſi amittitur, aut alio mo-



Digitized by Google

do perit, ſeu illi ablata ſit, quanhoc eveniat ob culpam, quam vocant Doctores latam. (quæ eſt quando aliquis non adhibet omnimodã diligentiam, uti ſolitam ab aliis ſuæ conditionis, & profeſſionis, qui ſolent habere depoſita, pignora, & ſimilia aliorum) quando non excuſet inadvertentia invincibilis, & inculpabilis; tenetur ad reſtitutionem. Ex oppoſito vero ſi eveniat ob culpam, quam dicunt levem, aut leviſſimam, (& eſt quando adhibentur omnes diligentiæ non ſolùm communes, & conſuetæ, ſed etiam majores, quæ poſſint uti à viris cautis, immò cautiſſimis in illà profeſſione, non tenetur ad reſtitutionem: dum non tenetur ad dictam cuſtodiam cum tam exacta diligentia. Advertendum tamen, quòd ſupradictæ culpæ lata, levis, & leviſſima ſunt omnes de ſui natura tantùm peccata venialia; ſi tamen non uniantur cum aliis circumſtantiis, per quas reddantur mortales. Bonacc. *de reſtitutione diſput.* 1. *quæſt.* 3. *punct.* 9. *num.* 7. *quæſt.* 1. *de Contractibus punct.* 6. Idem dicendum eſt de illis, qui cùm poſſint reparare, ſeu impedire aliquod damnum notabile, non ſolùm non reparant, nec impediunt, ſed poſitivè illud cauſant. Iſti ergo ſi non impediendò, aut cauſandò non adhibuerunt conſuetam diligentiam aliorum in ſimilibus caſibus adhibitam, ſi ſit per culpam latam, tenentur ad reſtitutionem cum compenſatione damni. *Vide apud Bonaccinam loco citato.*

Decimooctavò, quòd negotiãdo aliquis, aut ludendo cum aliquo, qui ſi notus deceptor præcipuè illi, qui ab eodem in multis occaſionibus, & ludis multoties ab eodem fuit deceptus: ſi eidem occurrat in negotiando, aut ludendò cum ipſo caſu, quo poſſit eumdem decipere cum proprio lucro, non tenetur reſtituere lucrũ habitum: quando tamen non ſit excedens debitum, hoc eſt compenſationem illius, quod illi abſtulit in aliis negotiationibus, & ludis, ſicuti pariter non tenetur in conſcientia qui credito ludit in aliquo ludò per legem humanam prohibito. Ita communiter Doctores.

Decimononò denique colligitur, quòd ſi aliquis expenderit denarium falſum, tenetur ad reſtitutionem denarii veri, & currentis illi faciendam, cui denarium falſum dedit, ſi ille dictum denarium adhuc apud ſe retineat: Quia ſi expendit illud; quamvis ſit peccatum mortale, aut veniale juxta valorem parvum, vel magnum monetæ: attamen non tenetur ad compenſationem damni, quod non habuit ille, cui prima vice fuit datum denarium (quod volunt Caſuiſtæ ſolùm eſſe neceſſarium motivum reſtitutionis, & non alii inter quos ſucceſsivè pertranſiit fortaſſe dictum denarium, cùm mortaliter impoſſibile videatur illud invenire. Ex his caſibus reſolutis poſſunt reſolvi alii quamplures.

Si

Si à me petas, quænam ſint cauſæ à reſtitutione excuſantes? Quãvis hoc poſſit facilè deduci ex ſupradictis tam in hoc, quàm in antecedentibus dubiis pręſentis Pręcepti; uno verbo reſpondeo per regulam generalem, & infallibilem communiter aſſignatam ab Auctoribus: hoc eſt excuſari à reſtitutione quicumque non poteſt abſolutè illam facere abſque gravi incommodo. Advertendo tamen, quòd non obſtante quod quilibet excuſetur à reſtitutione pro eo tempore quo habet ſupradictam impoſſibilitatem, non tamen per hoc eximi debet à dicta obligatione per totum tempus; quamobrem ſi pro alio tempore ille aſcenderet ad meliorem ſtatũ, & eveniret ditior, ita ut poſſet abſque ſuo notabili incommodo, & pręjudicio ſui ſtatus reſtituere, ad reſtitutionem teneretur, & non reſtituendo eſſet in ſtatu culpæ gravis. Item advertendum eſt, quòd ſi tam creditor, quàm debitor ſint in eodem ſtatu miſeriæ, ſupradictum incommodum non eximit ab obligatione debitorem: quia ſtatus miſeriæ creditoris innocentis debet præferri illi debitori culpabili, Rebellius *lib. 2. de reſtitutione quæſt. 17. ſect. 3. nu. 18.* Navarr. *cap. 17. num. 63.* Cardinalis de Lugo, Bannes, Salonius, Caſpenſis, Aragonius, Cajetanus, Valentia, Navarr. Azor. Filiucc. Vaſquez, & alii.

Excuſatur ſimiliter, & eximitur ab obligatione reſtituendi qui quantũm abſtulit Proximo ſuo fuit in compenſationem debiti, quòd ille talis contraxit cum eodem, cùm non poſſit ille alio modo ſatisfieri. Immò quamvis furetur animo furandi abſque fine ſupradicto præfatus creditor, quia non erat ei totum hoc ſuum creditum, ſi poſteà ſciat ſe creditorẽ illius, cui furatus eſt; quamvis peccaſſet pro illo tempore, quo furatus eſt, non tenetur ad aliam reſtitutionem quàm illius, quòd ſuperfuit credito: quòd ſi non ſuperſit, non tenetur ad reſtitutionem aliquam. Aragonius, Valent. Molin. Azor. Caſpenſis, Leſſius, Bonaccin. Maſtrius, & alii paſsim.

Petes fortaſſe pro complemento hujus dubii, ſi hęres teneatur ad reſtitutionem, ad quam tenebatur teſtator? Ad quod reſpondetur cum communi opinione, quòd totum id, quod dictum fuit de eo, qui furatur, aut retinet illud aliorum injuſtè, debet etiam intelligi de hęrede.

## DUBIUM IV.

### *Quomodo peccetur contra hoc Præceptum per Uſuram.*

AD benè intelligendum totum id, quod petitur in hoc præſenti Dubio, & quod fuit dictum in Dubio ſecundo præſentis Præcepti, ſcire neceſſe eſt quid ſit Uſura. Hæc igitur definitur communiter lucrum immediatè ex

mutuo proveniens, ex qua definitione colligitur, quòd formaliter uſura conſiſtit in illo lucro, quòd provenit totum ex mutuatione alicujus rei, quæ non poteſt reddi eadem, ſed alia ejuſdem ſpeciei, ut vinum, oleum. frumentũ, aut nummi, &c. Dixi lucrum tantùm provenire debere à mutuatione; quia non eſt uſura, ſi id, quod aliquis lucratur non eſt ratione mutuationis, quamvis ſit in mutuatione, ſed ex alio motivo, ut gratitudinis, & amicitiæ; aut ex lucro ceſſante, hoc eſt ex lucro, quod ceſſat, aut deeſt illi, qui mutuum dat cauſa mutuati mutuando illam rem, per quam probabiliter lucrari ſperabat, & ad hunc finem illam. apud ſe retinebat: quæ conditiones eſſentialiter requirũtur pro vero lucro ceſſante, non verò pro imaginario, & falſo, aut ex damno emergente, hoc eſt ratione illius damni, quod verè, & non imaginariè mutuanti provenire poteſt propter mutuationem, ut v. g. quando artifex dat aliquam ſummam pecuniæ alteri mutuam, & ex tali mutuatione facta pretium non habet pro emendo ferro, aut ligno pro fabrefaciendo in ſua profeſſione dùmmodò hoc damnum notum ſit illi, cui mutuatur: item quòd totum id, quod datur in compenſationem damni non excedat, & ſuperet damnum idem: & denique quòd damnum proveniat tantummodo à mutuatione, cùm non poſſit ille, qui mutuat alio modo ſuo dicto damno proſpicere. Quia ſi dictus artifex poſſet abſque ſolutione pecuniæ mutuo datæ credito recipere à mercatore ferrum, aut lignum ſupradictum uſque ad tempus, quo ſibi reddatur pecunia mutuata, non eſt præfatum damnum ratio ſufficiens ad excuſandum ab uſura. Toletus *lib.5. cap.* 28. Bonac. *de Contractibus diſp.3. quæſt.3. punct.2. num.* 1. Salonius 2.2. *quæſt.*78. *art.*2. Filiucc. *tr.*34. *num.* 70. Leſſius *lib.2. capit.* 20. *num.* 73.

Uſura duplex eſt, prima dicitur mentalis, hoc eſt interna, quæ ſit per intentionem; ſecunda realis, hoc eſt externa, quæ fit per actum realem, & externum. Prima non fit pacto externo verbórum, aut ſcripturæ, ſed tantùm per intentionem quam aliquis habet in mutuando intelligens mutuare per dictum lucrum illicitum: & idem dicitur de eo, qui hoc efficit cum. ſpe ejuſdem lucri. Secunda fit per dictum pactum externum, ſive ſit clarum petendo mutuans plus illo quod mutuat, aut tacitum dicendo verba, aut faciendo ſigna externa per quæ poſſit ille, cui mutuatur in cognitionem venire pravæ intentionis illius, qui mutuat. Ita Tolet. Bonac. & alii communiter. Ex quo ſequitur.

Primò, quòd recipiendo aliquis rem aliquam ultra mutuatam, hoc eſt commutandam, quando redditur aliud ſimile in eademmet ſpecie, cùm non poſſit idem reſtitui jam conſumptum, ut v. g. vinum pro



Digitized by Google

pro vino, frumentum pro frumento, nummos pro nummis, & ſimilia; tenetur ad reſtitutionem ultra peccatum grave uſuræ, quod committitur, ita prohibitæ per legem Divinam, & Eccleſiaſticam, ut conſtat ex Concilio Viennenſi ſub Clemente V. quòd ſi aliquis affereret pertinaciter illam eſſe licitam, eſſet hæreticus. Azor. 3. *part. lib.*5. *cap.*2. Molin. *diſp.*304. Rebellius *lib.*8. *quæſt.*2. Salonius 2. 2. *ſect.* 78. *art.* 1. Bannes, Aragonius, & alii apud Bonac. ut ſupra *num.* 12.

Secundò, quòd ille, qui recipit mutuatum donat mutuanti aliquam rem ex mera gratitudine, quando tamen ex conjecturis, & signis externis non potuit cognoſcere, quòd qui mutuavit fecit animo, & intentione recipiendi illud, quod sibi datum eſt, tantùm ratione mutuati: quia quãvis non sit illi datum ratione mutuati, ſed cauſa gratitudinis, ut dixi: nihilominus quia ille talis habuit animum, & intentionem uſurariam, & peccaminoſam; etiã hic tamquam complex, & ſocius criminis, peccat. Et idem dicendum eſt de eo, qui mutuavit, si recipiat aliquid ſupra mutuatum à mutuatario, hoc eſt ab illo, cui mutuavit, si aliquo modo penetrari poſſit similem intentionem uſurariam ipsius mutuatarii. Turrianus *diſput.*13. *num.* Leſſius *lib.* 2. *cap.*20. *dub.* 2. Piliuc. *tract.*34. *num.*6. & 25. Navar. *cap.*27. *num.* 209. Graſſius 1. *part. lib.*2. *capit.* 107. *num.* 6. Tolet. *cap.* 28.

Tertiò, quòd cùm differatur ſolutio, aut reſtitutio illius, quod mutuo recipitur diùtiùs, quàm fuit conventio; poteſt recipi ſupra ſortem, ſeu capitale aliud: quamvis de hoc antecedenter non intervenerit pactum aliquod: quia quamvis non præceſſerit hoc pactum, volunt Doctores, quòd tacitè haberi debet pro facto cauſa damni provenientis ab illius negligentia in dicta ſolutione. Quòd si talis dilatio provenit ab impoſſibilitate, non poteſt recipi illud ſuperexcedens abſque claro ſcrupulo uſuræ. *Lib.*2. §. *Non utique*, & *in lib.*4. *ff. De eo quod.* D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 78. *art.* 2. *ad primum.* Leſſius *lib.*2. *cap.*20. *nu.*82. Salonius 2. 2. *quæ.*78. *art.*2. Uterque Navar. in Molin. Rebellius, Azorius, & alii.

Quartò, quòd cùm provideatur valde probabile periculum, quod non poſſit recuperari mutuatum, sive ratione paupertatis sive ratione aliorum debitorum, quæ habet ille, cui fuit mutuatum: item ratione laboris; expenſarum, & magnæ difficultatis, quæ prævidetur futura in eadem recuperatione: poteſt pacto expreſſo, aut tacito recipi aliquid ſupra ſortem principalem, & hæc eſt ratio, quare ſunt liciti, & permiſſi Montes dicti Pietatis erecti à Republica, ſeu à Principe pro beneficio pauperum, sive in denariis, sive in commeſtibilis, ut frumento, & similibus, per quæ dictus.

Digitized by Google

tatem mutuati in tot mercaturis, quarum nullo modo indiget, cum totum ſit damnum mutuatarii, & utile lucrum mutuantis: ita Doctores paſsim.

Octavo, quod poteſt abſque uſura, & obligatione reſtitutionis mutuari vinum, frumentum, oleũ, aut pecunia reſtituenda in alio loco, ubi tàm frumentum, tàm aliud quodlibet ex ſupradictis, ſicuti etiam ſpecies monetæ mutuatæ eſt majoris valoris. Quia debet fieri reſtitutio totius cum omnimoda æqualitate, ita ut ſicuti mutuans non poteſt recipere ullo modo, aut prætextu rem aliquam ſupra ſortem mutuatam exceptis caſibus ſupradictis, ita mutuatarius non poteſt reſtituere minus. Unde ſicuti mutuatarius non debet reſtituere modo dicto frumentum, aut aliud ut ſupra minoris pretii, ſed in tanta quantitate, quæ ęquivaleat pretio illius, quod recepit: ita non debet reſtituere pecuniam in ſpecie monetæ minoris valoris: & quamvis ſint in ſpecie monetæ minoris valoris: & quamvis sint in quantitate eadẽ, attamen debet ſupplere deficientiæ, cum non ſint eædem monetæ in qualitate valoris. Hoc totum tamen debet intelligi, quando non convenerint inter ſe mutuans, & mutuatarius, quod velint eſſe conſortes in damno, & lucro: ita conſtat expreſsè apud Auctores paſsim.

Nonò, denique quod peccatur uſura cum, dando aliquis animalia ad ſocietatem, ut dicunt, ponendo unus animalia, alter verò labores, & induſtriam: non obſervatur æquitas pretii juxtà morã, & uſum loci, ubi fuit facta ſocietas: aut non dantur animalia, quæ apta ſint ad labores faciendos per ipſa: aut ſub prætextu dandi animalia datur pecunia ad illa emẽda, cum benè ſciat qui illam pecuniam dat, quod non ementur, & hoc non obſtante præſumit habere eamdem utilitatem, & lucrum, quod haberet ſi eadem animalia empta eſſent, & ad laborem expoſita, per uſuram, quàm vocant palliatam: aut denique ſi dicta animalia dantur cum conditione, quod ſi pereant caſu abſque culpa illius, cui dantur, refundantur in damnum ejuſdem, qui recipit, non verò illius, qui illa dat; dum juxta leges ſi pereat illud quod mutuatur, aut locatur hoc, vel alio ſimili modo, domino perit: dummodo tamen non convenerint ſocii contrahentes in contrarium recipiendo illud minùs à domino locationis, aut mutuationis prædictæ. Ita Doctores communiter apud Suarez, Navarrum, Layman, & alios.

DU-

## DUBIUM V.

### *Quæ peccata committantur in Emptione, & Venditione.*

EMptio, & venditio in hoc differunt, quod cum utraque ſit mutuus contractus habitus inter duas partes (in quo non differunt) Venditio conſiſtit in contractu, per quem venditor obligatur ad vendendam ſuam mercaturam, & emptor ad ſolvendam pecuniam pro illa, & in hoc diſtinguuntur. Quia autem utraque, ut dixi, eſt verus contractus, vocatus à Doctoribus oneroſus, per quem ambo contrahentes mutuo transferunt ſuum dominium, Venditor ſuarum mercaturarum, & Emptor ſuæ pecuniæ; habere debent tres conſuetas conditiones donationis: hoc eſt quod venditor ſit Dominus illius, quod vendit; Quod Emptor verè velit emere, & quod uterque ſint liberi non habentes alium ſupra ſe, à quo poſſint impediri ne dicto modo contrahant, & inſuper duas pro juſta permutatione, quæ ſit in dicto contractu mercaturarum in denarios ex parte venditoris, & denariorum in mercaturas ex parte emptoris. Prima eſt, quod non ſit in dicto cõtractu, ſeu permutatione fraus, & deceptio tàm quo ad ſubſtantiam, quàm quo ad quantitatem, & qualitatem, & venditæ mercaturæ, & monetæ, qua emitur. Secunda, quod mercatura non vendatur magis, neque ematur minùs ſuo juſto pretio, & valore. *l.* 1. *ff. de contrahenda emptione*, D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. & *ſequen.* Scotus *diſtinct.* 15. *quæ.* 2. *art.* 2. *ſub littera k.* & Doctores communiter apud Maſtrium *diſput.* 4. *quæſt.* 1. *art.* 1. *num.* 4.

A prima ex conditionibus ultimis ſupradictis ſequitur, quod peccat aut leviter, aut graviter qui vendit eodem pretio rem malæ qualitatis, tamquam bonæ, aut parvæ quantitatis, tamquam magnæ æquali pretio juxtà materiã ſufficientem, aut non ad culpam mortalem, ſeu venialem, ut alibi fuit dictum. Quare peccant juxta proportionem damni illati, & tenentur ad reſtitutionem illi, qui in pondere decipiunt emptorem, ſive falſificant ſuas mercaturas miſcendo inter illas alias inferioris pretii, aut nullius valoris, ut aquam in vino. Similiter peccat cum eadem obligatione reſtitutionis, ſi materia ſit ſufficiens, Emptor, qui emit tamquam vilẽ rem pretioſam, ut v. g. gemmam veram, tamquam falſam: aut ille, qui emit aliquam mercaturam in illo loco, ubi venditur pretio magno, pretio inferiori; quando tamen ita nolit venditor: ita communiter.

A ſecunda infertur, quòd ſi vendatur, aut ematur illud, quod valet decem ſcutis pro quatuor cum dimidio (quod eſt medietate minus) peccatur venialiter,

aut

aut mortaliter juxtà damnum allatum cum obligatione reſtitutionis, ut expreſsè docet D. Pater Auguſtinus *lib.* 13. *de Trinitate capit.* 3. Ut verò ſit in conſcientia tutus tam Emptor, quàm Vēditor pro valore, aut pretio illius, quod emitur, aut venditur, ſciendum eſt, quod pretium dividitur in pretium legitimum, & in pretium naturale. Legitimum illud eſt, quod imponit Princeps, Reſpublica, Magiſtratus, ſive quęcumque alia Communitas. Naturale verò illud quod provenit ab æſtimatione, & judicio peritorum, quod ſubdividitur in pretium infimum, mediocre, & ſupremum, aut rigoroſum. Poteſt enim dari caſus, quod multi dictorum peritorum ęſtimēt eamdem mercaturam minoris, alii pluris: unde ſi æſtimetur octo ſcutis, v.g. eſt pretium infimum, novem mediocre, & decem ſupremū, & rigoroſum: omnia autem hæc dicuntur pretia juſta. Quamobrem qui vendit, aut emit majori, aut minori pretio medietate dictorum hoc eſt magis ſupremo, aut rigoroſo, & minus infimo peccat, & tenetur ad reſtitutionem: legitimum verò non poteſt abſque culpa gravi alterari, niſi excuſet parvitas materiæ. Ita Molina *tract.* 2. *diſput.* 350. *num.* Petrus Navarr. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 13. Sylveſter, *verbo Emptio num.* 9. Bonac. *diſput.* 3. *quæ.* 2. *punct.* 4. *num.* 1. & alii communiter.

Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus poteſt aliquid vendi magis pretio rigoroſo, & emi minùs infimo. Primus eſt ratione lucri ceſſantis, aut damni emergentis declaratorum in antecedēti Dubio. Quare excuſantur mercatores, qui vendunt majori pretio ratione venditionis credito rem aliquam. Quia taliter vendendo ratione pecuniæ non ſolutæ pro tunc, provenit mercatori damnū in negotio, & hæc eſt ratio, quod ſi aliquis moveatur ab inſtantiis magnis alterius ut ſibi vendat aliquam rem, de qua habet neceſſitatem, hoc eſt frumentum, vinū, oleum, & ſimilia eo tempore, quo parum valet; cum venditor eam conſervaret, ut venderet tempore, quo plus valeret; poteſt tuta conſcientia illam vendere non pretio rigoroſo illius temporis, pro quo illam conſervabat, ſed magis illo, quo de præſenti valet. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 4. cum communi.

Secundus caſus eſt labor, ſumptus, & periculum jacturæ, aut alterius damni in venditione, & emptione: dum omnia ſupradicta ſunt prætio æſtimabilia; dummodo tamen ſit viciſſim ſcientia, & advertentia inter venditorem, & emptorem. Unde poteſt aliquis emere minori pretio illud, pro quo pecunia ſolvitur antecipatè, quando ſit moralis certitudo, quòd cum labore, & damno emptoris ſuo tempore recipietur id, quod fuit emptum. Leſſius *loc. cit.* & communiter alii Auctores.

Tertius quando emitur, aut ven-

venditur majori, vel minori pretio quantitas mercaturæ: quia ſi emitur magna quantitas, pretium debet eſſe minus, ſi verò ematur parva, dictum pretium majus ratione lucri majoris, vel minoris, quod aquirit mercator in venditione majoris, vel minoris quantitatis propriæ mercaturæ, & idem dicendum eſt, quando venditur, aut emitur mercatura oblata, aut non oblata à mercatore, quia in primo caſu valet minus; in ſecundo vero magis, Emanuel Sà *verbo Emptio num.* 4. Filiuc. *num.* 70. Leſſius, Reginald. Layman, Buſſembau, & alii.

Quartus, quando multi venditores alicujus mercaturæ ſunt, & pauci emptores. In tali caſu poteſt minui pretium: ſicuti quando ſunt plures emptores, & pauci venditores, poteſt illud augeri. Bonac. *punct.* 4. *num.* 13. *ac nu.* 21. Volunt pariter aliqui, quod cum notum ſit debere infra breve tempus augeri, aut minui pretium alicujus mercaturæ ratione abundantiæ, aut penuriæ ipſius; poteſt augeri, aut minui antecipatè pretium actuale, ſed ſecurior eſt, & communis quod alterari non debet.

Quintus, quando emitur aliquod creditum difficilè ad exigēdum. In tali caſu dicunt Auctores, quod poteſt emi aliqua minori portione pretii illo, quo valet creditum: unde ſi creditum eſt centum ſcutorum, v.g. poteſt emi nonaginta: quando tamen, ut aliàs dixi, ſit notum quod tale creditum cum difficultate poſſit exigi, aut quod ſit in hoc damnū emergens, & lucrum ceſſans, hoc eſt in emptione ſimilis crediti; dū cum non poſſit exigi niſi poſt aliquod tempus, ultra damnum jacturæ dicti denarii deficit lucrum, quod poſſet ex illo habere per illius occupationem. Quia extra dictos caſus, & conditiones non poteſt ullo modo pro illo ſolvi pecunia minor, ſed æqualiter, ita ut ſi valet centum ſcutis creditum, centum ſcuta ſolvi debent: aliter eſſet uſura paliata, mutuando virtualiter nonaginta ſcuta ad recipienda ex illis centum: & hoc tantùm ex mutuatione, dum pro tempore, quod intercedit inter ſolutionem, & exigentiam, in qua emptor recipit denarium mutuatum, non poteſt pecunia ſolvi, ut ſupra dixi in fine dubii ſecundi hujus præcepti. Petrus Navarrus *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 98. Sotus 6. *de Juſtitia quæſt.* 4. Salonius 2. 2. *quæſt.* 77. *art.* 1. Medin. Leſsius, Emanuel Sà, Molina, & alii communiter.

Sextùs quando venditur aliqua res fructifera, ut v.g. Domus, Vinea, Prædium, & alia ſimilia, quarum poteſt emptor recipere fructus, cum pacto redimendi poſt aliquod tempus ab eodem emptore. Quia in tali caſu, ſi venditor non minuit pretium ad aliquam juſtam portionem juxta morem loci, aut æſtimationem peritorum, & prudentum; committit uſuram pallia-

palliatam, ſive fictam fingendo vendere illud, quod verè pignorat recipiendo denarium mutuo, dando lucrum fructus emptori, ſicuti idem emptor recipit ultra mutuum virtualem, (cum mutuetur fictè res vendita loco denarii) aliquid ſupra fructuum tantùm ex mutuato, quamvis mutuatum non appareat, ſed tantùm venditio cum præjudicio notabili venditoris, ut Innocentius Tertius uſurarium cōtractum declarat ex *capit. ad noſtram* contra Caſpenſem, Cardinalem de Lugo, Molinam, Amicum, & alios. Ex omnibus ſupradictis caſibus deduci poſſunt alii multi, in quibus licet, & multoties debet etiam cum obligatione reſtitutionis augeri, aut minui pretium.

Colligitur ſimiliter ex dictis, quod non eſt licitum, immo prohibitum à legibus monopolium, quod conſiſtit in aliqua conventione inter multos Mercatores habita, quod tantum ipſi in aliquo loco vendant determinatam aliquam mercaturam impediendo, quod alii Mercatores poſſint illam vendere, aut emendo illam totam ipſimet, aut alio modo injuſto: ſive multi emptores ſibi mutuo promittendo non emendi niſi pretio infimo dictam mercaturam, quia primi inferunt damnum notabile aliis Mercatoribus, & ſecundi omnibus venditoribus. Sicuti pariter eſt illicitum, & conſequenter peccatum cum dicta obligatione reſtituendi conventio inter Mercatores habita non vendendi aliquam, ſive omnes eorum Mercaturas niſi pretio ſupremo, aut rigoroſo: quia dicta conventione damnum grave afferunt Emptori, qui cogitur per illam ad emendum tantùm illo pretio majori id, quod poſſent habere pretio non ſolum mediocri, ſed etiam infimo. Quamobrem in pœnam talis conventionis injuſtæ, aut monopolii facti inter venditores, volunt communiter Doctores, quod poſſint licitè aliud illi oppoſitum Emptores facere non emendi dictas mercaturas niſi infimo pretio, quod aliàs facere non poſſent abſque culpa gravi. *L. unic. cap. de monopoliis*, Aragonius 2.2. *quæſt.*77. *art.*4. *de monopolio*, Reginald. *lib.*25.*num.*333. Bonaccin.*num.*3. Rebellius, Lopez, & alii.

Eſt nihilominus licitum alicui mercatori emere totam mercaturam aliquam, quæ invenitur in aliquo loco pretio infimo, & vili, ut poſtea illam vendat, vel in eodem loco poſt aliquod tempus, quando pretium erit majus, aut alibi pretio currenti dicti loci, quamvis pretium majus ſit: & ratio eſt, quia tempore intermedio quod eſt uſque ad illud venditionis poteſt mercatura perire exponendo ſe mercator periculo perdendi totum: unde uſque ad dictum tempus plures erunt expenſæ, & labores pro dicta mercatura conſervanda: adeòque in compenſationem dicti damni po-

teſt mercator vendere pretio majori ſupradictis circumſtãtiis proportionato ſuam mercaturam. Illud autem pretium quando non ſit taxatum à Principe, Republica, aut alio, ad quem pertinet, taxari debet ab eodem mercatore, judicio tamen aliorum prudentum, & peritorum, ne decipiatur cum ſuo ſpirituali præjudicio. Molina *tract.2.diſput.*345. *num.*5. *concluſ.* 3., Leſſius *lib.* 2. *cap.* 21. *dub.* 20. *num.* 150., Caſpenſis *d.* 4. *ſect.* 8. Cardinalis de Lugo *diſput.*26.*ſect.*12.*num.*176. Turrianus, & alii contra Fabrum, & alios à Cardinale de Lugo citatos.

Obſervandum eſt hic, quod quando mercator emeret totam aliquam mercaturam ab aliquo, qui nolit illam vendere, niſi totam ſimul, & qui nolit morari in illo loco, ubi illam emit longo tempore, ſed brevi; hic talis poteſt vendere dictam mercaturam pretio majori in eodem loco, etiã abſque temporis mora, dummodo tamen dictum pretium non ſit excedens, ſed juſtum ratione beneficii notabilis allati loco ſupradicto: præcipuè quando ſit res neceſſaria victui, ſive ad veſtiendum, cujus rei eſſet ibi penuria, ut probat Caſpenſis in eodem loco ſupracitato, & alii.

Item obſervetur, quod Princeps, Magiſtratus, aut alii Superiores alicujus loci non poſſunt abſque culpa gravi, & obligatione reſtitutionis privilegium aliquibus tantum mercatoribus concedere, ut poſſint vendere particulares mercaturas in dicto loco ratione damni notabilis, quod ex illo provenire poteſt aliis mercatoribus, & dicti loci habitatoribus: quia ſi minuatur numerus venditorum, pretium mercaturæ creſcit cum damno emptorum. Unde tenentur ad reſtitutionem primò illi, qui privilegium obtinuerunt; ſecundo Princeps, aut Magiſtratus &c. Sed in caſu quo dictus Princeps, aut alius Superior, ad quem pertinet diſponat hoc non in favorem, & utilitatem dictorum mercatorum, ſed ſolius reipublicæ neceſſarium putando ita diſponere pro publico bòno; aſſerunt Doctores, hoc eſſe licitum cum hoc tamen, quod Princeps, aut alius ut ſupra taxent pretium, ne gravetur ſubditus ultra debitum. Azor. 3. *par. lib.*8. *cap.*28. Silveſter. *verbo emptio quæſt.* 18. Medin. *cap. de reſtitutione quæſt.* 30. Emanuel Sà *verbo venditio num.* 5. Reginald. *lib.*25.*num.*327. Filiucc. *tract.*35. *diſput.*8.*num.*253. Salonius, Aragonius, & alii.

Denique pro complemẽto præſentis dubii ſciendum eſt, quod emere, & vendere cum lucro, (quod proprie dicitur negotiatio, ut advertit Maſtrius *diſput.* 5. *de contractibus onerosis quæſt.* 5. *art.* 4. *num.* 39.) per ſe ipſum non eſt negotiatio mala, aut illicita, ſed indifferens. Dicitur nihilominus talis: quia fere ſemper ſecum fert de-

deceptionem, mendacium, juramentum, & alia peccata etiam gravia. Quamobrem à Sanctis Patribus vituperatur ut mala, hoc eſt ut cauſa mali: unde prohibetur venditio, & emptio *cap.2.* ne Clerici, vel Monachi, & in ſpecie illis, qui Sacris ordinibus ſunt initiati, & Religioſis: quando tamen ſit purè negotiativa, non œconomica: hoc eſt quando exercetur eo modo, quo à Mercatoribus, aut Negotiatoribus exercetur; non verò quando exerceatur in beneficium, & utilitatem propriæ Domus, Monaſterii, aut Religionis.

Dicitur etiam illicita ratione materiæ, quæ venditur, cum ſit prohibitum illam vendere, ut ſunt res Sacræ, aut aliæ, quæ pertinent ad Infedeles, ut Idola &c. ſive aliæ non Sacræ, quarum venditio prohibita fuit à Principe extra ſuum Statum, aut Principatum ad publicum beneficium: ſive ratione temporis, in quo vendi non poſſunt, ut in diebus feſtivis, prout habetur *cap.1. de feriis*, aut denique ratione loci, cum ſit prohibita negotiatio in Eccleſiis, cum venduntur publicè in ipſis mercaturæ *cap. decet de Immunitate Eccleſiaſt. in 6.*

## DUBIUM VI.

### *Quomodo peccatur contra hoc idem præceptum per Simoniam.*

Simonia communiter definiri ſolet Studioſa volõtas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum. De ſui natura eſt peccatum grave, & obligat ad reſtitutionem niſi ſit purè mentalis, quæ conſiſtit in actu deliberato vendendi, aut emendi res ſupradictas ſpirituales: quia hæc quamvis ſit etiam peccatum grave non obligat ad reſtitutionem, ſed tantùm quãdo habet ſibi unitum actũ externum executivum. Per illam particulam ſtudioſa voluntas emendi &c. intelligitur incluſus quilibet contractus dictus oneroſus, ſive ſit venditionis, ſive locationis, ſive permutationis, aut renunciationis. Silveſter *verbo ſimonia num. 5.* Azor. 3. *part. lib. 12. cap. 1. quæſt. 1.* Layman. *lib.4. tract.10. cap.8. num. 2.* Valentia, Filiuc. & alii. Per ſecundam particulam aliquod ſpirituale, intelligitur quodlibet bonum ſpirituale ordinatum ad ſalutem, ſive ſit tale ſecundum ſuum eſſe proprium, ut gratia, aut dona Spiritus Sancti pro quibus exhibuit Simon Magus pecuniam, unde provenit hoc nomen Simonia: aut quia ſunt cauſa dictarum rerum ſpiritnalium, ut Sacra-

cramenta, Orationes, Prædicationes, & ſimilia D.P. Auguſtinus *tract.* 10. in Joannem, D. Chriſoſtomus *homil.* 70. D.Thomas 2.2.*quæſt.*100. *art.*1.aut quia ſunt effectus earundem, aut uſus poteſtatis ſupernaturalis, ut eſt conſecratio, abſolutio, diſpenſatio, benedictio, excommunicatio, electio, præſentatio, & omnes alii actus juriſdictionis Eccleſiaſticæ,& conſequenter omnia Eccleſiaſtica beneficia. Tolet.Bonacin. *loco cit.* Layman. *num.* 1. Filiuc. *tract.* 45. *cap.* 1. Per tertiam, & ultimam. Vel ſpirituali annexum, intelligi debet totum id, quod quamvis non ſit in ſe ſpirituale nihilominus ordinatur ad illa, quæ ſunt in ſe ſpiritualia, ut ſunt v. g. vaſa, veſtes Sacræ, redditus beneficiorum, & ſimilia Sotus *lib.* 9. *de Juſtitia quæſt.* 6. Suarez *tom.*1. *de Religione lib.*4. *de Simonia cap.* 9. *& alii.*

Hoc peccatum eſt Sacrilegium, neque poteſt excuſari ex parvitate materiæ: quia cum conſiſtat in contemptione erga res ſpirituales adhibitas factas venales, ut sūt res temporales, neceſſariò ſemper ſunt culpæ graves: quamvis materia, quæ vilipenditur parvi momenti. Verùm quidem eſt, quod poteſt eſſe peccatum veniale ex alio capite, hoc eſt ex ignorantia, aut ex inadvertentia inculpabili, ut diximus in notatis genetalibus Bonacin. *quæſit.*3. *n.*13. Suarez Filiuc.Layman, Leſſius,Tancredus, Maſtrius, & alii paſſim.

Tripliciter poteſt committi Simonia. Primò, quando eſt intentio efficax, & deliberata tribuendi, externè tamen non tributum aliquid pro rebus ſpiritualibus ſupradictis: & dicitur Simonia mentalis pura. Sivè tribuitur externè aliquid, ſed ſine obligatione, aut pacto externo: quamvis internè intelligat qui tribuit,obligare illum cui tribuit: & dicitur mentalis mixta. Secundò, quando intercedit pactum externe inrer dantem, & recipientem: quæ dicitur conventionalis pura, ſi non ſequitur ſolutio eſt conventionalis miſta, ſi ſequatur ſecundum aliquam partem executio obligationis, & pacti. Filiucc. *tract.*45. *cap.*10. Tolet. *cap.* 36. Bonacin. *quæſt.*2. *num.*2. *&* 3. Sotus *lib.* 9. *de Juſtitia quæſt.* 8. *cap.* 1. Et ad hanc reduci poteſt alia Simoniæ ſpecies, quæ dicitur confidentialis; & eſt, quando aliquis tribuit alteri beneficium ad hoc, ut ille ſibimetipſi renunciet, aut alteri tertio: ſeu tribuit eidem illud cum onere ſibi tribuendi aliquam certã portionem fructuum ejuſdem beneficii. Filiucc. loco cit. & alii. Tertiò & ultimo, quando adimpletur tam interne, quam externe obligatio, & pactum in omnibus. Et dicitur Simonia realis. Armilla, Tolet. Fernandez, Maſtrius, & alii communiter.

Dividitur eadem Simonia in Simoniam Jure Divino prohibitam ratione malitiæ, quam habet

in ſe intrinſece: ut vendere, aut emere hoſtiam ſacram, gratiam, & ſimilia: & in Simoniam prohibitam jure humano; non quia iſta ſit mala in ſe, ſed tantùm mala, quia eſt prohibita. Tolet. *cap.* 85. in communi. Etiam communiter humana ſubdividitur in ſeptem, ut habent Canoniſtæ in *cap. quæſitam*. Prima eſt venditio benificiorum quoad jus recipiendi fructus. Secunda eſt venditio officiorum, quæ quamvis non habent aliquem ordinem neque minorem, neque Sacrum; attamen rebus Sacris deſtinata ſunt, ut v. g. illud Sacriſtæ, aut Æconomi. Tertia eſt exhibitio pecuniæ facta alicui, ut interponatur apud aliquem ad obtinendnm pro ſe beneficium. Quarta eſt obligatio, aut pactum reſignandi beneficium, quod poſſidetur, aut ſolvendi penſionem illi, qui ſibi aliud obtinuit majoris redditus. Quinta eſt permutatio, & reſignatio beneficiorum injuſte facta, hoc eſt abſque debita facultate: ſive in permutatione juſta ipſorum æqualitas fructuum, qui antea erant inæquales, facta ſine ſpeciali facultate. Sexta eſt acceptatio alicujus muneris, quamvis ſponte facti, pro examine ad aliquam curam, aut pro aliqua ordinatione, quamvis eſſet ſola prima tonſura, & ad obtinendas litteras dimiſſorias: excepto tamen conſueto emolumento pro Notario, quando non ſit ſtipendiatus. Septima, & ultima eſt acceptatio pecuniæ pro ingreſſu Religionis, non ratione ſtatus Religioſi, cujus prohibetur venditio Jure Divino, tanquam res in ſe ſacra: ſed ratione ſubſtentationis, & victus illius qui Religionem ingreditur: quando tamen non ſit hoc permiſſum cauſa paupertatis Monaſterii, aut Conventus, & ratione conſuetudinis. Suarez, Azor, Reginald. Layman, Bonaccin. Leſſius, & alii communiter. Ex dictis colligitur.

Primò quod celebrare Miſſam, Confeſſiones audire, Prædicare, & alia ſimilia opera Spiritualia, & Sacra facere ob aliquod munus rei, ſive pecuniæ, eſt Simonia. Non prohibetur tamen aliquid recipere titulo eleemoſynæ, aut laborum non intrinſecorum ſupradictis operationibus annexorum, & exercitiis Sacris, quia hæc excedunt in valore quodlibet pretium, cum ſint inæſtimabilia: ſed ratione extrinſecorum v. g. in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio non ratione laboris in celebratione habiti, aut ratione laborioſi exercitii ceremoniarum; ſed ratione cantus ipſius, quando Miſſa eſt ſolemnis: in prædicatione non ratione incommoditatis, & faſtidii habiti in dicendo; & exagerando ferveroſè in reprehenſione vitiorum: ſed ratione itineris, & propriæ ſuſtẽtationis, quando utrumque ſit neceſſarium pro illo Sacro miniſterio. Item eſt Simonia dare, aut accipere pecuniam, aut

quod-

quodlibet aliud minus pro quacunque abſolutione peccatorum & cenſurarum; pro diſpenſatione votorum, juramenti, alicujus impedimenti matrimonii, & ſimilia, & quamvis mos ſit recipi aliqua ſumma pecunię pro aliquibus diſpenſationibus ſupradictis; hoc totum ſolummodo ſit non in ſolutionem, ſed in pœnam applicandam cauſis piis. D. Thomas 2.2. *quæſt.* 100. *art.* 1. Sotus *lib.* 9. *quæſt.6.art.*1. Tolet. *cap.*88. Layman *cap.*8. §.2. Tancrad. *lib.*4. *de Simonia diſput.* 14.

Secundò quod conferre, aut procurare aliquod beneficium alicui ob ſervitutem, & auxilium præſtandum ab eo in favorem ſuimetipſius; vel opere, aut verbis: velut beneficiarius ei condonet aliquod debitum, quod contraxit cum eodem: dummodo præceſſerit pactum, aut tacitum, aut expreſſum; ratione cujus etiam inſervire alicui Cardinali, aut Prælato, eſt Simonia; cum ſit pretio æſtimabile. Layman *cap.*8. *de Simonia* §.2. Bonacin. *quæſt.*7. *punct.* 1. & alii. Et quamvis aliqui Doctores excuſent á Simonia inſervire propter beneficium, aut Cappellaniam cum pacto: cum ſit ſervitium licitum; ego non audeo id aſſerere: cum communior ſententia ſit in oppoſitum. Dico tamen, quod ut ſint in conſcientia tuti, tam qui dat, aut procurat, quàm qui recipit beneficium, in ſimilibus caſibus non debet præmitti pactum ullo modo: aliàs ſemper vivent inſcrupulo.

Tertiò quod non eſt Simonia ſtipendium alicui dare, ut inſerviat tamquam Cappellanus celebrando Miſſam, & omnia illa opera ſpiritualia exerceat, quæ Dominus vult; quamvis pactum pręcedat: dum hoc non eſt pecuniam ſolvere pro re ſpirituali: ſed tantum ſervitium pręſtitum Domino ſupradicto. Bonaccina, & alii communiter.

Quartò, quod nec etiam eſt Simonia aliquam pecuniam ſolvere illi, qui poteſt impedire conſecutionem alicujus beneficii, ad quod habet jam jus acquiſitum, quamobrem pro lite ſimilis caſus poteſt liberè pecunia ſolvi: nam hoc non eſt pecuniam ſolvere pro beneficio: ſed pro laboribus illius, qui ex juſtitia operatur. Quod ſi neque jus, neque rationem aliquam ad beneficium habet qui illud prætendit, & procurat pecuniam ſolvendo, ut dixi, committit Simoniam, ità communiter.

Quintò, quod non eſt Simonia vendere aut emere res ſacras non ratione conſecrationis, aut benedictionis, quas continent in ſe, ſed ſolius materiæ. Quamobrem licitum eſt, vendere agnus, & reliquias, coopertas tamen, & ornatas aut intrà vaſa, & capſulas repoſitas; non ratione reliquiarum, aut agnorum; ſed ratione ornatus, & vaſis, ubi ſunt repoſitæ, & ratione materiæ dicti vaſis, & ornatus, & laboris artificis:

cis: ſi autem venderetur reliquia, aut agnus nude, tamquam reliquia aut agnus, non excuſaretur à Simonia. Item munus aliquod tribuere ad excitandas perſonas ad exercitium operum ſpiritualium, & Sanctorum non ſolùm non eſt peccatum aliquod, ſed res laude digna, & meritoria: quando tamen qui munus tribuit, non intelligat eſſe in ſolutionem, aut præmium, ſed tantùm ex liberalitate, & ità ſimiliter credit qui illud recipit. Panormitanus in *cap. ultimo de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*, Silveſter *verbo Reliquiæ*, Suarez *lib.* 4. *cap.* 14. *num.* 24. Layman *lib.* 4. *tract.* 10. *num.* 6. Bonacin. *de Simonia diſtint.* 1. *quæſt.* 4. *num.* 8. Filiuccius *tract.* 45. *cap.* 3. *quæ.* 12. & alii communiter.

Pro peccato prædicto Simoniæ aliquæ ſunt impoſitæ pœnæ, ſed ſpecialiter tres. Prima eſt excommunicatio Papæ reſervata Layman *loco cit. §. de pœnis Simoniæ*. Secunda renunciatio beneficii obtenti, cum ſit nulla ipſius collatio ex Bulla Sixti V. Tertia obligatiò reſtitutionis fructuum receptorum beneficii malè collati, & acceptati, faciendæ Eccleſiæ loci dicti beneficii, aut pauperibus. *ex cap. ſi quis neque primo quæſt.* 1. & extravaganti cum deteſtabile de Simonia.

## *De Octavo Præcepto Decalogi.*

OCtavum Decalogi Præceptum reperitur in *Exodo cap.* 20. *his verbis*. Non loqueris contrà proximum tuum falſum teſtimonium. Quo præcepto aſſerunt communiter Sacri Doctores, & Interpretes, quod prohibeatur non ſolùm mendacium, & juramentum falſum, ſed quælibet læſio famæ, & honoris proximi tàm in actis judicialibus, hoc eſt accusãdo aliquem apud judicem, aut Superiorem de aliquo delicto innocentem. Aut ex oppoſito interrogatus aliquis à dictis judicibus, aut Superioribus ſuper aliquo delicto, non revelando verum: quàm extrà dictum judicium cum damno dicti proximi proferre mendacia, falſum jurare: aut aliquod ſecretum revelare ſibimet à dicto proximo dictum, & alia ſimilia. Bonacin. *diſput.* 10. Tolet. *lib.* 5. *cap.* 56. & alii communiter. Itaque examinabimus hìc ſequentia dubia. erit igitur.

### DUBIUM I.

*Quid, & quot ſint mendacia.*

SAnctus Patriarcha meus Auguſtinus *lib.* 1. *contrà mendacium cap.* 42. deſcribendo mendacium dicit, eſſe dictum falſum ab àliquo pronunciatum cum vo-

luntate fallendi audientem : & eodem modo loquitur *cap.22. Enchiridion*. Itaque duo neceſſariò requiruntur ad mendacium. Prima eſt voluntas dicendi falſum: alia dicere falſum: hoc eſt dicere rem contrariam illi, quam aliquis habet in mente. Undè poteſt dari caſus, quod aliquis dicat verum, putando ſe dicere falſum. Aut ex oppoſito dicat falſum exiſtimando dicere verùm: & eſt quando in mente concipit rem prout verè eſt in ſe, & ità illam dicit v. g. putat quod cras non ſit feſtum, & dicit, cras non eſt feſtum, cum revera cras ſit feſtum: hic talis putat dicere verum, ſed dicit falſum. Si verò ex oppoſito dicat cras non eſt feſtum, cum revera non ſit feſtum, putando verè eſſe feſtum, dicit verùm, putando dicere falſum. Si igitur aliquis dicit falſum putando dicere verùm, hic non dicit mendacium; ſed tantùm quando putat dicere falſum, quamvis dicat verùm. Et ratio eſt, quia prout cōmuniter dicunt Auctores tàm Theologi, quàm Canoniſtæ cum ſupracitato Patriarca meo; mendacium propriè, & verè tantum eſt, quando illud, quod aliquis dicit, non eſt illi conforme, quod habet in mente, immò contrariū illud aſſerendo animo, & intentione audientem decipiendi. Ex oppoſito verò ſi aliquis dicit falſum putando dicere verùm; hic talis propriè non dicit mendacium: quia quamvis illud, quod dicit falſum ſit; nihilominus quia non putat falſum; ſed verum, non dicit falſum, ſeù mendacium, cum non habeat in mente ſe velle decipere audientem, prout habetur ex eodem Sancto Patre Auguſtino ibidem *cap. 18. Enchiridion*. Quòd cognoſcitur ex eo quod fallitur etiam ipſe, dum alii falluntur putando dicere verum: dum non dicitur verè Sempronium fallere Titium, quando Sempronius per id, per quod fallit Titium, fallitur etiam ipſe. Quòd eſt idem ac dicere, quando Sempronius non habet intentionem fallendi Titium, quamvis Titius fallatur à Sempronio *Bonacc. tom. 2. diſput. 10. quæſt. 1. punct. 1. num. 2.*

Mendacium igitur ſupradictū, quamvis de ſe conſideratū abſque circumſtantiis ſit peccatum veniale (excepto tamen mendacio dicto in rebus ad Sanctam Fidem concernentibus, quod de ſui natura eſt peccatum graviſſimum propter damnum, quod ex eo honori divino provenit) nihilominus ex circumſtantiis ſæpe ſępius fit grave. Prima circumſtantia, quæ reddit peccatum grave, eſt juramentum; de qua circumſtantia, quia jam ſufficienter dictum fuit ſupra *dub. 1. ſecundi præcepti Decalogi*, hic omittitur. Secunda eſt læſio, aut detrimentum notabile vitæ, ſivè famæ, ſivè rerum proximi, Propter has circumſtantias, aut aliàs, quæ ſemper reducuntur, mendacium, quod de ſui natu-

Digitized by Google

natura eſt culpa levis, ſit gravis, ut diximus. Clavis Regia *lib.* 12. *cap.* 2. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 47. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 1. Sotus *in lib.* 5. *de Juſtitia quæſt.* 5. *art.* 1. & alii communiter.

Mendacium dividitur tripliciter. Primò dicitur mendacium iocoſum: Secundò officioſum: & tertiò Perniciofum. Silveſter *verbo mendacium quæſt.* 1. Navarr. *cap.* 18. Duo prima pertinent ad mendacium leve, quia iocoſum committitur, quando dicitur per iocum, & delectationem: officioſum verò quando dicitur in beneficium proximi, ut habet Divus Pater Auguſtinus *cap.* 18. Enchiridion, & alii cum illo: unde quia ex illo nullum damnum provenit non mutat ſuam conditionem culpæ venialis. Tertiò verò eſt culpa mortalis, quæ committitur, cum tale mendacium dicitur in damnum notabile ſivè Dei, ſivè proximi, ex quo nomen ſumit pernicioſi: & hoc tertium propriè illud eſt, quod prohibetur in præſenti præcepto. Itá Cajetanus Layman. Bonacin. cum citatis ſuprà, & omnibus communiter.

Advertendum tamen eſt, quod Doctores graves non ſine magno fundamento aſſerunt mẽdacium, quamvis non pernicioſum multoties fieri culpam gravem ratione perſonæ illud proferentis, quæ cum ſit auctoritatis, & in notabili conceptu apud populum, ex hoc provenit ſcandalum grave, & conſequẽter ratione dicti ſcandali etiam ipſum fit culpa mortalis, ut habetur ex D.P. Auguſtino in Epiſt. ad Hieronymum. Et ratio eſt, quia videns vulgus, quod ille talis, qui apud ipſum eſt in magno conceptu & exiſtimatione, dicit falſum, motivum ſumet non habendi ampliùs illi fidem etiam in rebus præmuroſis, ſivè neceſſariis & fidei, & aliarum, à quibus provenit maxima fidelibus ſalus æterna, ac etiam aliquando vita temporalis: hoc provenit, quando v. g. cum ſit poſitum aliquod præceptum ſivè lex pœnam vitæ imponens tranſgreſſori; ſi promulganti fides non præſtetur, poteſt ſimplex ob rationes ſupradictas illud præceptũ non credere, & ſic perire. Ex hoc motivo valde conſiderabili debent Superiores omnes cujuſque generis, ſivè Religioſi, ſivè Curati, ſivè alii ſimilis auctoritatis, & exiſtimationis, ut docent, & admonent Sancti Patres, & Doctores, abſtinere ſe à mendaciis etiam iocoſis præcipuè in præſentia ſimplicium perſonarum, & idiotarum.

Notandùm etiam eſt, quod in nullo caſu poſſumus uti mendacio, neque dicere falſum; quamvis poſſimus in aliquibus veritatem aperire: quia falſum dicere ſemper de ſui natura eſt peccatũ, unde dici nequit ſine macula culpæ gravis, aut levis, ut fuit dictum *ex cap. ne quis arbitretur* 2. 2. *quæſt.* 2. & Doctores apud

Bonacinam *quæſt.* 1. *punct.* 2. *n.* 1. Operire autem veritatem prout in multis locis Sacræ Scripturæ exemplum habemus, quod fuit à Sanctis Patribus aperta verbis æquivocis, ut habetur in D. P. Auguſtino *de mendacio cap.* 10. & D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 110. *art.* 3. qui falſum non dicebant, ſed operiebant verùm, in aliquibus caſibus non ſolum non eſt culpa, ſed virtus, ut accidit pro defenſione honoris, & vitæ ſivè propriæ, ſivè ſui proximi: in caſu tamen, quod non obligetur aliquis interrogatus de veritate in judicio ſervato juris ordine, quia in tali caſu cęlari ullo modo non poteſt dicta veritas ſine culpa mortali: Navarr. Sanchez *Conſil. Mor. lib.* 6. *cap.* 3. *dub.* 19. Sot. Bonacin. & alii: Nunquam tamen licet uti amphybologiis, ſeù reſtrictione mentali.

## DUBIUM II.

*Quotupliciter Lædi poſſit fama alterius.*

AD intelligentiam dicendorum in hoc ſecundo dubio, neceſſe eſt examinare quid ſit fama. Hæc igitur eſt plurimorum conceptus vitæ, & morum alicujus perſonæ, qui, ſi bonus ſit, dicitur bona fama, ſi malus, mala fama dicitur. Ille ergo qui cauſam dat conceptum mutandi bonum perſonæ morum rectorum, & vitæ laudabilis in conceptum malum, intelligitur famæ nocere, & illam tollere, Solon. 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2. Molina *tract.* 4. *diſput.* 1. *num.* 4. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 6. Rebellius *lib.* 4. *de reſtitutione quæſt.* 1. Clavis Reg. *lib.* 11. *cap.* 3. *num.* 4. Filiucc. *tract.* 40. *cap.* 4. *quæſt.* 1. *num.* 87. & *tract.* 31. *cap.* 9. *quæſt* 1. *num.* 226.

Duo ſunt modi, quibus tollitur fama alterius. Primus, quando tollitur internè temerè judicando de noſtro proximo; unde dicitur judicium temerarium. Hoc eſt tantùm culpa mortalis, quando eſt verum, ac proprium judicium temerarium: hoc eſt actus verus, & deliberatus cum plena advertentia, per quem aſſeveranter dicatur, hæc res eſt vel non eſt ità: quia ſi non habet internè conſenſum cum dicta determinatione ad unam ex duabus partibus, hoc eſt ad affirmativam aut ad negativam; ſed inclinet non minùs ad unam partem, quàm ad aliam; non eſt judicium, ſed dubitatio. Si verò inclinet ad unam partem, ſed cum aliqua formidine, aut timore, ex eo quod non ſit fundamentum ſufficiens, & totum pro adhæſione cum perfecta deliberatione ad affirmativam, aut ad negativam; eſt ſimplex ſuſpicio. Itaque ut ſit verùm judicium, neceſſariò requiritur, quod ſit actus intellectus, per quem non dubitando, neque ſuſpicando, ratione, & fundamento apud ipſummet judicãtem certò,



Digitized by Google

tò, & firmò quamvis in ſe falſo, & in ſufficienti affirmat malum, aut negat bonum proximi ſui ità, ut ſi paratus etiam ad illud affirmandum cum juramento, ſi neceſſitas occurret. Quod bonum aut malum, ut ſit materia ſufficiens ad culpam mortalem, debet eſſe notabile: quia affirmare malum leve, hoc eſt quod non affert notabile præjudicium proximo, aut negare bonum parvæ, aut nullius conſiderationis, hoc eſt parvæ utilitatis ſit eidem proximo; eſt culpa venialis, & non mortalis, quamvis ſit verùm, & proprium judicium. Hoc modo tollitur non externè, ſed internè proximo ſuo fama: quia illi fit injuria tollendo eidem jus, quod habet à natura, ut nemo præjudicium aliquod vitæ, rebus, aut bonæ famæ ſuæ, cum huic famæ notabiliter præjudicetur ſiniſtro judicio. D. Thomas 2. 2. *quæſt.*60. *art.* 3. Molina *tract.*4. *diſput.*13. *num.* 4. Petrus Navarrus *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 445. Cajetanus 2. 2. *quæſt.* 60. *art.* 3. Reginald. *lib.*24. *num.*24. Clavis Regia *lib.*12. *cap.*3. *num.*11. Bannes 2. 2. *quæſt* 60. *concluſ.* 2. Filiucc. *tract.*40. *cap.*1. *num.*17. Bonacin. & alii communiter.

Secundus modus eſt per detractionem, quæ conſiſtit in occulta; & injuſta læſione famæ, aut propriæ, aut aliorum, ut definitur communiter à Cauſtis. Contumelia verò ex oppoſito definitur manifeſta ejuſdem læſio facta verbis: & eſt, quando eodem infamato aliquis dicit rem aliquam, quæ notabile præjudicium affert conceptui bono, quem ille habet apud alios vocando illum furem, aut alio modo illi improperando. Itaque in hoc differt detractio à contumelia, quod utraque famam denigret cum hac differẽtia, quod illa eum denigrat in occulto, hoc eſt abſente eodem infamato; hæc autem in illius præſentia. Undè contumelia majus peccatum eſt, quàm detractio, ſicuti rapina, quàm furtum. Ità D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 1. & cum illo omnes.

Advertendum tamen, quod referre imperfectiones, & defectus notabiles proximi (dico notabiles, quia ut dixi, per leves non tollitur fama) illi, ad quem pertinet eundem corrigere, aut illi, qui poteſt aliquo modo opportunum remedium dare ex puro zelo, fine correctionis, & ſalutis animæ alterius, aut propriæ non eſt detractio, immò potius conſervatio famæ: dum hoc totum fit ad tollendum conceptum malũ cauſatum, aut cauſandum apud homines ratione defectuum qui referuntur (quando tamen hoc fiat juxtà regulas fraternæ correctionis Evangelicæ in illis caſibus, in quibus requiritur) ſicuti etiam nullum damnum affertur eidem famæ, quando fit ſermocinatio ſuprà defectum cum perſonis conſciis ejuſdem defectus. Bonacin. *de reſtitutione in genere diſput.* 2. *quæſt.* 4. *punct.* 1. *num.* 3. Petrus Na-

Navarrus *lib.2. cap.4. num.*281.

Dixi quod detractio, & contumelia eſt aliqua læſio famæ etiam propriæ: quia manifeſtare proprias culpas, aut defectus, quando non fiat cum ſancto, & recto fine perſonæ, ad quam pertineat illos punire, aut illos tollere medio Sacramento pœnitentiæ, eſt ſimiliter culpa gravis, ſi ſint culpæ, aut defectus notabiles. Quia ſi præjudicium illatum famæ alterius eſt peccatum, majus erit illatum propriæ: nam quilibet prius tenetur curare de proprio bono nomine, aut conceptu, poſteà verò de illo ſui proximi. Cajetanus 2. 2. *quæſt.*73. *art.* 2. & *in ſumma verbo detractio*, Valentia *tom.*3.*diſput.*5. *quæſt.*17. Turian. *diſput.* 54. *dub.* 1. *contra* Navarrum, Bonacinam, Sotum, Ledeſmam, & alios, qui volunt non eſſe mortale ex genere ſuo.

Semper igitur detractio eſt culpa gravis, quando illa ſit materia ſufficiens: hoc eſt quando ſit de defectu notabili, & cum debita advertentia, ut diximus ſuo loco. Nec ſufficit dicere, hoc non dico ad famam tollendam, ut eximatur aliquis à peccato: quia quando verè ex illo dicto provenit infamia, culpa committitur, Doctores communiter.

Angelicus Doctor 2. 2. *quæſt.* 73. *art.*1. ad tertium docet, quod detractio pluribus modis fieri poteſt. Primò exponendo delictum falſum: ſecundò revelando delictum verum, ſed ignoratum: tertiò amplificãdo delictum verum, quamvis notum: quartò interpretando opus de ſe bonum, quod ſit factum cum fine malo v. g. ſi dicatur de aliquo, qui ad Eccleſiam pergit pro indulgentia recipienda, quod fuit ad illam, ut furtum faceret: quintò negando opus bonum, quod verè fuit factum, ac ſi non eſſet factum: ſextò minuendo verbis, aut ſignis opus bonum: ſeptimò tacendo bonum factum illi, cui tenetur idem bonum manifeſtare, ſi de illo interrogetur: & denique manifeſtando aliquam perfectionem, & bonam alicujus qualitatem tali modo, ut potius illa laus accuſet malum conceptum, quàm bonum in audiente v. g. Sempronius habetur ab aliquo in conceptu perſonæ valde abſtinentis & perfectę vitæ: queritur Titius à Publio, ſi verè Sempronius talis ſit, qualis refertur: Titius reſpondet, ità eſſe, ſed tali modo quod Publius ratione magnæ fidei, quam præſtat atteſtationi ipſius; credit quod Sempronius ſit hypocrita: dum ex informatione, & relatione dicti Titii putat non eſſe veram, ſed falſam totam illam bonitatem, & perfectionem ab omnibus exiſtimatam Sempronii. Undè Titius peccat mortaliter non referendo fideliter, & cum ardore vitam, & perfectionem Sempronii; ſi verè illi conſtet, & notum ſit eſſe dictum Sempronium perſonam optimis, & ſanctis moribus ornatam, ut ſuppono.

Digitized by Google

no. Ità cum D. Thoma, Sancti Patres, & Doctores communiter.

Et quia nos diximus, quod detractio, & contumelia ſemper culpæ graves ſunt, niſi excuſet levitas materiæ, inadvertentia, aut ignorantia inculpabilis: & hoc quia ferè ſemper per illas gravitèr offenditur proximus; non debet intelligi hoc verificari in illis caſibus, in quibus quamvis aliquis manifeſtet delictum grave ſecundum ſe, non infert tamen præjudicium ſaltem notabile perſonæ, cujus dicitur eſſe proprium: quandò in dicta perſona illud delictum, quamvis grave leve apparet, non cauſando conceptum magis malum ejuſdem perſonæ apud illum, cui illud manifeſtat; cum jam ſit in tali vituperii conceptu apud illum perſonã, de qua ſit ſermo, ut non poſſit augeri. Unde v.g. dicere de latrone, & aggreſſore famoſo, quod commiſerit furtum ſacrilegum, non eſt illius famam tollere: ſed de aliquo, qui non ſit latro ità enormis manifeſtare enormia, & graviſſima delicta, quia auget malum conceptum, non eximitur à culpa gravi; qui illum manifeſtat ratione augumenti cõceptus mali, in quo illum ponit. Salonius 2. 2. *quæſt.* 62. *art.* 2, *controv.* 12. & Bonacin. *loco ſupracit. punct.* 2. *num.* 1.

Item manifeſtare delictum grave alicujus perſonæ emortuæ eſt etiam culpa gravis, quando dictus defunctus erat bonæ famæ apud illum, apud quem infamatur; non tantum ratione damni defuncto cauſati per dictam revelationem, ſed etiam ratione illius conſanguineis, affinibus, ac etiam complicibus cauſati, quando ſit tale delictum revelatum, ut ſecum afferat neceſſariò notitiam de complicibus in eodem delicto. Petrus Navarr. loco cit. *num.* 351. Rebell. *lib.* 4. *cap.* 5. *num.* 5. Clavis Reg. *lib.* 11. *cap.* 7. *num.* 13. Filiucc. *tract.* 40. *num.* 133. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 4. *dub.* 6. Molina, Bonacin. Salonius, & alii.

Manifeſtare culpas leves, quamvis non ſit culpa gravis ſecundum ſe; nihilominus ſæpè ex circumſtãtiis poteſt fieri culpa mortalis: quia conſiderata perſona, de qua dicitur, & illa cui dicitur: ſi hæc per auditum ſimilium defectuum formare poteſt in mente conceptum malum notabiliter illius; eſt culpa gravis illos defectus revelare. Quamobrem de aliqua perſona auctoritatis, & magnæ exiſtimationis dicere, quod ſit aſſueta mentiri, eſt culpa gravis: quia infert notabile præjudicium eidem perſonæ tollendo ipſi bonam famam. Immò cum ſupra dixerimus, quod iſti defectus, quamvis ex ſua natura leves in perſonis ſimilium qualitatum ſunt graves ex circumſtantia ſcandali, quod cauſant, ac etiam per alias; ſequitur quod dicere ſimiles defectus de talibus per-

perſonis, cum ſint graves ex ſupradictis circumſtantiis notabile detrimentum affert perſonæ, de qua dicuntur. Undè generaliter loquendo unica erit, & infallibilis regula, quod manifeſtare delicta gravia, gravis culpa ſit. Azor loco cit. *cap.* 7. Aragonius 2. 2. *quæſt.* 73. *att.* 2. Reginald. *lib.* 24. *num.* 8. & 70. Bonacin. *punct.*2.*num.*6. Clavis Reg. Salonius, Navarrus, & alii.

Idem, quod dicitur de defectibus moralibus, qui ſunt peccata, dicitur etiam de defectibus naturalibus, quare manifeſtatio dictarum imperfectionum, ut v. g. eſſe vinolentum, & crapulis mente captum, ciboſum &c. quando afferre poſſit grave detrimentum perſonæ, cujus ſunt, eas revelare, quamvis de ſui natura non ſit culpa gravis, ſed levis, ſit peccatum mortale ratione detrimenti, quod cauſat. Navarrus loc. cit. *num.*30. Reginald. *num.*79. Clavis Regia *num.*4. Filiucc.*quæſt.*6. *num.*97. Leſſius, Molina, Bonacina, & alii.

Denique notandum, & obſervandum, quod ſupradicta doctrina debet applicari etiam pro locis publicis, videlicèt pro Religionibus, Civitatibus, Collegiis, Conventibus, & ſimilibus. Hoc eſt quod cum manifeſtatur aliquis defectus ex notitia cujus provenire poſſit notabile præjudicium dictis locis, ſemper eſt culpa gravis. Si verò ex oppoſito præjudicium leve proveniat, erit tantùm culpa lèvis: de quo non poteſt dari certa, & infallibilis regula pro omni caſu in particulari; dum ex una circumſtantia mutato in gravem leve defectu, mutatur pariter culpa. Petrus Navarr. *ibidem num.* 350. Reginald. *num.*81. Clavis Reg.*lib.*11. *cap.*6. *num.* 21. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.*4. *dub.* 9. & alii apud Bonacin. *de reſtitutione in genere diſput.*2.*quæſt.*4.*punct.*2.*num.*10. Unde Confeſſarius debet eſſe val. de circumſpectus in interrogationibus harum materiarum, & pœnitens in referendo, & examinando propriam conſcientiam.

Quoad obligationem reſtitutionis famæ eſt regula inalterabilis, quod in omnibus illis caſibus, in quibus fuit præjudicatum notabiliter eidem famæ, tenetur quilibet ad illam reſtituendam, dicendo illis, cum quibus eam abſtulit, quod totum dictum de tali fuit ſua inventio, ut ille infamaretur propter ſuos malos fines, ſi verè fuit mendacium totum, quod dixit. Aut invenire aliquem modum de conſilio Confeſſarii, ſivè alteriùs viri prudentis ad tollendum malum conceptum cauſatum ex revelatione defectus abſque mendacio dicendo non eſſe verùm hoc, quod dixit, ſi verè illud, quod dixit verùm non ſit, cum in nullo caſu licitum ſit mendacium, ut diximus. Et hoc intelligendum eſt tam de infamatis viventibus, quam defunctis. Salonius 2. 2. *quæſt.*62. *art.*

*art.*2. *controv.*13. *concluſ.* 2. Clavis Regia *lib.*11. *cap.* 3. *num.* 27. Turrianus *diſput.* 53. *dub.*1. Filiucc. Reginald. Molin. Bonacin. & alii.

Dantur tamen aliqui caſus, in quibus non tenetur ille, qui aliquem infamavit ad reſtitutionem. Primùs eſt, quando eſt certus, quod malus conceptus in omnibus, & per omnia deperditus ſit: qui caſus difficillimus eſt; quia non ſufficit, quod ille talis, qui infamavit, ità judicet, ſed neceſſe eſt, quod ſibi notum ſit, quod verè penitus evanuit dictus conceptus malus ad hoc ut ad dictam reſtitutionem non teneatur. Rebell. *lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 423. Leſſius *lib.*2.*cap.*11. *dub.*18.*num.* 100. Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 7. *num.*29. Valentia *tom.*3.*diſput.*5. *quæſt.*6. *punct.*5.Petrus Navarrus *lib.*2. *cap.* 4. *num.*423. Filiuccius *tract.*32. *num.* 249. & alii.

Secundùs, quando aliquis aliũ infamando viciſſim ab illo infamatus ſit; quando tamen infamià ſit æqualis: quia ſi illa, cum qua ipſe infamavit alium, eſt major illa, cum qua fuit ipſemet infamatus, non eſt immunis à dicta obligatione. Emanuel Sà *verbo reſtitutio num.* 32. Salonius 2. 2. *quæſt.*62. *art.* 2. *controverſ.* 23. *concluſ.*2. Aragon. *ibidem dub.* 9. Leſſius *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 25. & alii contra Navarrum, Turrianum Azorium, & alios.

Tertiùs quando detractio non fuit efficax, hoc eſt non cauſavit verè malum cõceptnm in audiente: ſive fuerit ratione detractoris, cum non eſſet perſona fide digna, aut quia perſonæ,quæ audierunt, erant optimæ conſcientiæ, quæ ferè ſemper interpretari ſolent in bonam partem quamlibet proximi actionem, & quando hoc non poſſint facere, ſaltem excuſant intentionem, aut totum tribuunt inadvertentiæ, per quam quælibet culpa excuſatur: ſive privationi divinæ gratiæ, aut ſupranaturalis auxilii, quod eſt certiùs, & indubitatum, ut admonent Sancti Patres, ſine quo nemo bene operatur, immò quilibet labitur. A quo ſapiens, & prudens fundamentum ſumit in ſimilibus caſibus rectè judicandi de illo, de quo ſit detractio, & ſcandalum, aut admirationem detractoris. Valentia, Petrus, Navarrus, Clavis Regia, Turrianus, & alii cum Bonacina *quæſt.* 4. *punct. ultimo num.* 10.

Quartùs quando perſona offenſa per detractionem condonat ſatisfactionem, ad quam tenetur detractor, proteſtando quod recuſat reſtitutionem ſuæ propriæ famæ, excepto tamen caſu, in quo per propriam detractionem non provenerit etiam illam aliorum, quia in ſimili caſu non ſufficit ſola ipſiùs condonatio, ſed requiritur etiam illa aliorum infamatorum. Vide Aragonium loco cit. Salonium ibidem *controv.* 23. Petrum Navarr. *lib.*2. *cap.* 4. *n.*385. Leſſium *dub.* 24.



Digitized by Google

Aſſignantur ab aliquibus Doctoribus, præcipuè à Bonacina *de reſtit. in genere diſp.* 2. *quæſt.* 4. *punct. ult.* alii caſus; ſed quia reducuntur ad hos prædictos, aut quia continent in ſe magnam difficultatem à me non exponuntur: cum ſicuti reſtitutio rerum requirit multas cõditiones ad eximendum aliquem ab obligatione illius; ità pariter reſtitutio honoris, & famæ. Neque eſt ſufficiens motivum ad ſe eximendum à dicta obligatione aliquid incommodum, aut damnum, quod poſſit ex illa detractori evenire, quia non deſunt modi reſtituendi ſupradictam famam ſine proprio præjudicio ſaltem notabili: quamobrem in ſimilibus caſibus optima erit reſolutio, ut dixi, nihil decernere abſque conſilio Confeſſarii, aut directoris ſpiritualis.

## DUBIUM III.

### *An ſit licitum revelare Secretum.*

INtelligetur & benè reſolvetur id, quod in hoc dubio quæritur, ſi benè percipiatur quot modis committi poſſit alicui aliquid ſub ſecreto. Primò dicitur, poteſt aliquid committi ſub experſſo præcepto, quod non reveletur: Secundò ſub tacito præcepro, quando talibus verbis, & circumſtantiis committitur, ut poſſit facile intelligi, quod ille, qui committit, non vult ut reveletur: Tertiò quando ſine præcepto neque tacito, neque expreſſo eadem gravitas, & neceſſitas rei commiſſæ ſecum fert ſecreti obligationem, ità Doctores communiter.

In omnibus ſupradictis caſibus revelari nequit ſecretum, hoc eſt res ſecreto commiſſa abſque culpa gravi Silveſter *verbo ſecretum num.* 1. Emanuel Sà eodem verbo, Reginaldus, & alii. Immò ſi proveniat à dicta revelatione damnum notabile perſonæ, honori, famæ, aut rebus illius, qui commiſit, ultra culpam tenetur qui revelavit ad reſtitutionem totius. Sicuti pariter tenetur ad reſtitutionem rei, & compenſationem damni, quod provenit à detractione ultra culpam ipſam detractor. Navarrus *cap.*18.*n.*52. Molina *diſput.*5. *num.* 2. Filiucc. *tract.*40. *cap.*2. *quæſt.* 2. Bonacin. *de reſtitutione in genere diſput.*2. *quæſt.* 2. *punct. unico num.* 4. & Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 31. *dub.* 3.

Sunt tamen aliqui caſus, in quibus poteſt revelari ſecretum etiam cùm juramẽto commiſſum, excepto tamen ſemper ſecreto, & ſigillo Confeſſionis, ut aſſerunt Doctores omnes cùm Sanctis Patribus, & Conciliis. Duo tamen ſunt principales. Primus eſt ad evitandum aliquod grave damnũ publicum, cum neceſſe ſit publicum bonum, & utilitatem particulari præferri. Unde ſi occurrat caſus, quod non manifeſtando il-

lud,

Digitized by Google

lud, quod aliquis habet in ſecrero, poſſit ex eo evidenter provenire damnum grave alicui Regno, Provinciæ, Civitati, Terræ, Religioni, Monaſterio &c. ac etiam alicui perſonæ publicæ; hic talis tenetur illud revelare: quamvis à dicta revelatione provenire poſſit damnum illi, qui ſibi commiſit ſecretum. Sotus *de tegendo ſecreto*, Navarr. *cap.*18. *num.*54. Reginald. *loco ſupra cit. num.*122. Silveſter loco cit. & alii. Secundus eſt ad evitandum grave damnum etiam particularis perſonæ, v. g. ſi velit aliquis committere homicidium, ſtuprum, aut aliud ſimile ex quo reſultet damnum ſive ſpirituale ſive temporale, & illi qui communicavit ſecretum, & alteri qui eſſe debet patiens, & offenſus; poteſt in hoc caſu ſine ullo ſcrupulo revelari eidem patienti, aut alteri perſonæ quæ poſſit impedire, totum quod ſibi fuit commiſſum. Bonacin. *num.*9. Azor. *loc. cit. dub.*9. Filiucc. *tract.* 40. *cap.*2. *quæſt.*12. *num.*128, Dixi grave damnum, quia non licet, nec immunem reddit à culpa mortali revelare ſecretum, quando ſi cæletur provenire poſſit aliquod leve damnum; cum valde neceſſaria ſit tam ad bonum proprium particulare, quàm ad bonum Reipublicæ gubernium conſervatio ſecreti, quare abſque gravi neceſſitate violari non debet, & in ſpecie quando damnum impediri poteſt. Molina, Reginaldus, Bonac. Bannes, & alii apud Nazarium *tract. Canonic. quæſt. ſect.*2. *quæſt.*10. *num.*6. *ac* Menoch. *tom.* 1. *Conſil.* 77.

Hinc colligitur quod manifeſtare injuriam factam, quæ prius erat occulta pro conſilio, auxilio, conſolatione, aut punitione, non eſt peccatum aliquod, dum non manifeſtetur injuriæ Auctor, immò licet etiam illum manifeſtare, ſi neceſſitas ſit: ſi verò ſine iſta neceſſitate infamia proveniat delinquenti, non debet manifeſtari, nam Proximus gravatur abſque ulla utilitate, aut neceſſitate.

Secundò colligitur, quod revelare complicem delicti proprii in confeſſione licitum ſit, quando tamen à dicta revelatione provenire non poſſit aliquod notabile damnum, infamia, aut vita ejuſdem complicis. Suarez 3. *part. tom.*4. *diſput.*34. *ſect.*2. Bonac. loco cit. *quæſt.*4. *punct.*4. *num.*2. Et ratio eſt, quia, quamvis commiſſum ſit ſub rigoroſo ſecreto delictum complicis delinquenti, qui confitetur; nihilominùs, quia bene explicare non poteſt ſuũ peccatum abſque eo quod Confeſſarius notitiam habeat complicis: dum, ut diximus, ſcit pœnitens, quod nequit provenire à dicta revelatione aliquod damnum notabile ſuo complici: poteſt, imò tenetur illum revelare; quia niſi reveletur complex in hoc caſu, provenit notabiliſſimum detrimentũ pœnitenti, integram non facienti confeſſionem, cum poſſit illam facere

cere ſine aliquo damno, ſaltem notabili complicis. Quod ſi cognoſcat, quod per hanc revelationem evenire poſſit ſupradictũ damnum complici, nullo modo debet illum revelare: imò ſi in hoc caſu nullum alium poſſit habere Confeſſarium, cui confiteri poſſit peccatum abſque eo quod notitiam habeat complicis, tacere debet peccatum, expectando aliã opportunam commoditatem pro illo confitendo. Petrus Navarr. *lib.* 2. *cap.* 4. *punct.* 2. *num.* 271. Rebell. *lib.* 4. *quæſt.* 13. *num.* 10. Suarez 3. *part. tom.* 4. *diſput.* 34. *ſect.* 2. *contrà* Navarrum *cap.* 7. *num.* 1. & alios non nullos.

Tertiò colligitur, quod per revelationem ſecreti, quod continet in ſe culpam gravem; & detrimentum famæ alteriùs: quamvis ſit peccatum mortale ratione revelationis ſecreti, ſi conditiones ſupradictæ ſint, non eſt peccatum detractionis, ſi revelando delictum ſub ſecreto commiſſum, dicat, qui illum revelat, quod illud ab aliis audivit. At ſi per talem revelationem, aut ratione perſonæ, à qua illud fuit auditum, aut ratione illius, qui audivit, cum ſit perſona facilis ad credendum, & aliis manifeſtandum; provenire poſſit grave damnum Proximo, eſt etiam detractionis peccatum. Petrus Navarr. Rebell. Leſs. Azor. Molina. Valent. Salon. Reginald. cum Turriano *diſput.* 5. *dubit.* 9. Clavi Regia *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 16. *ac* Filiucc. *tract.* 40. *cap.* 4. *quæſt.* 5. *num.* 34.

Quartò, quod non eſt peccatum, ſaltem grave, manifeſtare illud delictum, quod eſt occultũ in uno, aut in pluribus locis; ſi ſit notorium, & publicum in alio: quando tamen tale ſit per ſententiam Judicis, aut ex proceſſu (quod dicitur notorium jure.) Aut quod ſit commiſſum coram multis, aut in loco publico, in quo multis poterat eſſe notum, quamvis illis notum non ſit (quod dicitur notorium facto.) Aut quod fuerit commiſſum talibus circumſtantiis loci, temporis, ſive aliis, à quibus poſſit communiter cognoſci à tota aliqua Civitate, aut alio loco ſimili, immò à toto Univerſo: dum ex ſupradictis circumſtantiis deduci clarè poſſit, quod delinquens non curaverit de publicatione ipſius delicti (& dicitur delictum notorium famoſum, & ratio eſt, quia per talem publicitatem delicti, qui illud commiſit, amiſit jus, quod prius habebat ſuæ bonæ famæ. Bannes 2. 2. *quæſt.* 73. *art.* 2. Salon. *ibidem contr.* 2. Reginald. *lib.* 24. *num.* 85. Bonac. loco cit. *punct.* 6. *num.* 2. Emanuel Sà *verbo infamare num.* 5. Turrian. *diſp.* 13. *dub.* 10. Silveſter *verbo detractio*. Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 6. *num.* 22. & alii.

Quintò, quòd non eſt peccatum revelare delictum occultum in uno loco, ſed publicum in alio: quamvis bonis operationibus, & acti-

actibus virtutum recuperaverit ſuum bonum nomen in eodem loco, ubi illud amiſit: dummodo addat, ſi illi notum ſit (quia ſi illud ignoret, non tenetur) quod ille talis recuperavit bonum nomen modo dicto. Bannes 2. 2. *quæſt.*13. *art.*2. Salon. *ibid. cantr.* 2. *concluſ.*4. *& alii contra Rebellum lib.* 4. *quæſt.*4. & Silveſter verbo Detractio.

Sextò, quod peccat mortaliter, qui manifeſtat peccatum grave alterius, cum ſciat, aut credat, non eſſe publicum, & tenetur reſtitutioni famæ. Si verò ſciat, non eſſe publicum defectu alicujus ex conditionibus ſupradictis; & latè non obſtante aſſeveranter dicit, eſſe abſolutè publicum, in tali caſu peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem famæ, ut dixi Bonacin. loco cit. *punct.* 6. *num.* 10.

Septimò, quod non eſt peccatum grave aliquem infamare de aliquo peccato, quamvis occulto, quod habeat connexionem cũ alio, de quo jam publicè fuit infamatus, v. g. de Latrone, Aleatore famoſo dicere, quod ſit falſarius, & perjurius, quando tamen non ſit tale delictum, de quo infamatur, ut illi augeat notabiliter infamiam, ut dictum fuit ſupra. Azor. 3. *part. lib.*13. *cap.*7. *dub.*3. & alii cum Bonacina. Sicuti pariter non eſt peccatũ grave, manifeſtare delictum notabile, quamvis non habeat dictam annexionem, de aliquo, qui ſit infamis notorius, & publicus ex aliis multis delictis. Silveſt. verbo Detractio *quæſtione* 1. contra utrumque Navarrum, Leſs. Azor. & Bonacin.

Octavò, quod eſt peccatum, non ſolùm grave, ſed etiam graviſſimum revelare unum, aut plura delicta occulta per Libellum famoſum: hoc eſt per aliquam ſcripturam, aut aliud ſignum factum ad hoc, ut manifeſtetur cuilibet prefatum delictum. Finellus *caſu* 12. *num.*13. Silveſt. verbo Libellus. Zechalius *caſ.* 17. de caſibus reſerv. Gambarutta *caſ.* 14. *num.*6. ex quo ſequitur, quod volens aliquis alium accuſare de aliqua ſimili culpa, & timens hoc facere manifeſtè; efficit ſcripturam, in qua exprimatur dictum delictum cum nomine illius, qui illud commiſit, tacito proprio, & illam pervenire facit ad manus Superioris, aut Judicis, ut de illa culpa ſumat debitam informationem, & juridicè procedat. Jul. Clar. Finell. ibidem ut ſupra, Bonacin. loco cit. *punct.*9. *num.*5. & alii. Aut illam ſcripturam in aliquo publico loco ponat, ubi poſſit videri à Superiore, In hoc caſu; quamvis hic talis hoc faciat cum optimo fine, non putando infamare per famoſum libellum proximum ſuum; nihilominus, quia cum non poſſit, nec debeat præſtari fides ſimilibus ſcripturis, quia ſine nomine Auctoris ſunt, ſeù Accuſatoris; hæc remanet Libellus famoſus *capitulo Inquiſitio-*

*ſitionis* §. tertiæ de accuſatione; dummodò remaneat expoſita publico, & non in manibus Superioris clam; quia in tali caſu non dicitur Libellus famoſus. Molin. *diſput.*35. Graff. *lib.*1. de caſibus reſerv. *cap.*19. *num.*21. Ex oppoſito verò, ſi revelat per epiſtolam amico delictum ſupradictum, non dicitur revelari per libellum famoſum; quamvis committat peccatum detractionis, & teneatur ad famæ reſtitutionem: quia non fuit ſcripta dicta epiſtola, ut delictum manifeſtetur omnibus, ſed tantum illi particulari. Filiucc. *tract.*40. *cap.*3. *quæſt.*8. *num.* 78. Bonacin. *num.*2. & alii communiter. Item, quod ſcriptura, in qua invenitur expreſſum delictũ notorium; quamvis expoſita ſit publico, non eſt Libellus famoſus, cum non ſit expoſita ut publica ſit; cum de ſe publica ſit. Silveſter verbo Libellus, & alii paſſim. Sicuti pariter dicitur Libellus famoſus aliquod ſignum, ant figura expoſita in loco publico ad infamandum ſuum proximum. Jul. Clar. Bonacc. Graff. Molina, & alii.

Quicumque igitur temerè audet infamare aliquem revelando vitium grave occultum modo ſupradicto, committit, ut diximus, peccatum graviſſimum, & non poteſt abſolvi, ſi prius non reſtituat publicè famam, ſicuti publicè eam abſtulit, ſive oretenus, ſive per ſcripturam Silveſt. verbo Libellus, Emanuel Sà verbo Infamare *num.* 8. Gambarutta *cap.* 14. *num.*6. Sayrus *lib.*12. *cap.* 4. *num.*9. & alii. Item non poteſt abſolvi de peccato etiam facta reſtitutione ſupradicta, niſi prius abſolvatur ab excommunicatione, quam incurrit per dictam infamiam datam modo ſupradicto Canone. Quia in alterius 5. *quæſtione* 11.

Nonò colligitur, quod aliquis manifeſtando aliquod proprium delictum grave extra Sacramentum Confeſſionis tantùm ex motivo ſe infamandi (quando tamen non ſit ex aliquo ſancto fine, & ex motivo ſuo proprio virtutis) peccaret mortaliter, ut ſupra diximus cum Cajetano, Valent. Turrian. & aliis; quamvis non deſint Doctores, qui oppoſitum aſſerant; qui tamen non negant, peccare mortaliter, qui manifeſtant aliquod ſuum peccatum occultum, à quo provenire poteſt damnum notabile aliis. Navarr. Bonacc. Sotus, Ledeſma, Molin, Bannez, Salon. & alii apud Clavem regiam *lib.*11. *cap.*3. *num.*31. licitum tamen eſt immò neceſſarium revelare aliquod proprium delictum occultum, à quo provenit infamia notabilis ſuo Proximo non obſtante quod à dicta revelatione proveniat propria infamia: quia tenetur quilibet ex juſtitia infamare ſe ipſum ad reſtituendum bonum nomen, & famam Proximo ſuo: & multò magis tenetur quando à dicta infamia provenire poſſit periculum amiſſio-

amiſſionis vitæ, & facultatum propriarum eidem Proximo. Sotus *in relat. de tegendo ſecreto memb.* 2. *quæſt.* 6. Suarez *tom.* 5. *de Cenſuris diſput.* 4. *ſect.* 5. *num.* 16. & 17. Salon. 2. 2. *quæſt.* 69. *art.* 2. *controv.* 7. *ad tertium*, & Filucc. *tract.* 40. *cap.* 3. *quæſt.* 9. *num.* 84.

Decimò, quod minus grave peccatum eſt, ſibi imponere aliquod notabile delictum etiam ad evitanda tormenta, quando per hoc exponatur aliquis ad evidens periculum mortis: dum in hoc caſu non ſolùm ille talis ſe exponit amiſſioni proprii honoris, & famæ, ſed etiam vitæ, quæ ſunt multò magis conſiderabilia tormentorum incommoditate: & eo vel magis, quando à dicta infamia etiam illa aliorum innocentium proveniat cum periculo evidenti mortis eorumdem. Navarr. *cap.* 18. *num.* 28. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 6. *dub.* 3. Salon. 2. 2. *quæſt.* 74. *art.* 2. *controv.* 3. Bonac. *punct.* 10. *num.* 5. Ex oppoſito verò revelare, & confiteri delictum proprium occultum Iudici, qui juſtè interrogat, culpa mortalis eſt, ut diximus ſupra cum citatis Authoribus.

Undecimò colligitur, quod ille, qui cum plena advertentia voluntaria eſt cauſa detractionis, & revelationis delicti gravis occulti, à quo proveniat infamia ſuo Proximo, quando non ſit perſona, quæ hoc faciet ratione ſui officii, ad quod pertineat hoc facere ratione punitionis, aut remedii; peccat mortaliter, & tenetur ad compenſationem damnorum, quæ poſſunt evenire infamato ex dicta revelatione, dixi cum plena advertentia, & voluntariè: quia in caſu quo daretur motivum detractori ſupradictum inadvertenter, & cum poſſet impediri, impediretur detractio inconſideratè cauſata non eſſet peccatum ſaltem grave. Aragonius 2. 2. *quæſt.* 72. *art.* 2. Salon. *ibidem art.* 4. *concluſ.* 2. Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 7. *dub.* 10. Navarr. *cap.* 23. *num.* 26. Bonacc. *loco cit. punct.* 10. Sotus 5. *de Juſtitia quæſt.* 10. *art.* 4. Item ille, qui cum poſſet impedire, & multò magis qui tenetur dictam detractionem, aut revelationem, illam non impedit, aut prohibet, peccat mortaliter. Clavis Regia *lib.* 11. *cap.* 9. *num.* 44. Filiucc. *num.* 225. Salon. Petrus Navarr. & alii. Sicuti etiam qui libenter audit dictas detractiones, & revelationes auxilium, & calorem præſtando detractori, & maledico, graviter peccat: oppoſitum verò dicendum eſt, qui illud audit cum diſplicentia Reginald. *lib.* 24. *n.* 95. Filiucc. *tract.* 40. *cap.* 4. *quæſt.* 14. *num.* 121. Leſs. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 4. Ille verò, qui audit ex mera curioſitate ſupradictas detractiones, & revelationes abſque auxilio, aut ullo calore eiſdem præſtito, ut diximus, ſimpliciter peccat venialiter Reginald. ut ſupra *num.* 96. Leſs.

*num.*

*num.*20. Navarr. *cap.*23. *num.*26. *ac* Rebell. 1. *part. lib.* 4. *quæſt.* 6. *num.* 6.

## DUBIUM IV.

*Quot modis lædi poſſit honor alterius, & quomodo reſtituatur.*

SIcuti differt honor à fama, ità modi nocendi honori diverſi ſunt ab illis nocendi famæ. Honor igitur eſt ſignum externũ alicui præſtitum in teſtimonium gradus, quem habet, aut virtutis, quam poſſidet. Itaque tunc dicitur honor læſus alicujus, quando verborum, aut ſignorum externorum eidem prҿſtandorum, quæ oſtendunt illius prærogativas, & perfectiones, dicuntur verba, aut fiunt ſigna, quæ oppoſitum demonſtrarent. Ita communiter Doctores cum Bonaventura *de reſtitut. in genere diſput.* 2. *quæſt.* 5, *punct.* 1. *num.* 1.

Duobus igitur modis poteſt aliquis nocere honori, aut dicendo de aliquo coram eodem ſerio verba injurioſa, delicta ejuſdem, & notabiles defectus continentia (& dicitur contumelia) aut dicendo verba, & faciendo actus ſimiles per iocum (& dicitur deriſio) utroque modo committitur culpa gravis, quia utroque modo offenditur graviter Proximus. D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 72. *artic.* 2. Bannez *ibidem art.* 1. Salon. & Valent. *ibidem*, Azor. 3. *part. lib.* 13. *cap.* 5. & alii paſſim.

Ex hac doctrina infertur, quod non ſit culpa gravis contumelia, aut deriſio facta ſine animo nocendi: quando tamen non ſit plena advertentia, quod quamvis non ſit hic animus, ſeu intentio ex dictis contumelia, & deriſione provenire poſſit grave damnum honori, quia ut docent Theologi à fine, quem aliquis habet in operando, operatio dicitur bona, vel mala. Valent. Filiuc. Merlin. & alii. Quamobrem ſuperior ſubditum reprehendendo, pater filium, & ſimiles: ſi prorumpant in ſupradicta verba contumelioſa & puro zelo ad correctionem, poteſt dari caſus, non ſolum quod non committant peccatũ aliquod, ſed quod faciant actus virtutis, & ſancti zeli: ſicuti ex oppoſito evenire poteſt, quod aut per dictum zelum imprudentem habitũ cum ira, & odio gravi in illos, qui corriguntur; aut quia revelatur aliquod delictum grave occultũ eorumdem per ſimiles aſperas reprehenſiones abſque ulla neceſſitate, & cum notabili detrimento ipſorum, ſupradicti committant culpam mortalem cum obligatione reſtitutionis famæ; idcircò abſtineri debent à ſimilibus verbis illi, ad quos pertinet tales facere reprehenſiones, cum facillimum ſit ob ſupradictas cauſas, quod virtus zeli mutetur in vitium odii, & detractionis, aut contumeliæ. Filiucc. *num.* 64. Valent. *tom.* 3. *diſput.* 5. *quæſtione*

Digitized by Google

*ſtione* 16. *num.* 2. & Bonac, *loc. cit. num.* 4.

Infertur etiam, quod ſimilia verba contumelioſa, aut deriſoria dicta ex impetu iræ, ſi ſit motus ſufficiens ad excuſandam culpam mortalem, non ſint peccatũ grave: at ſi ſequatur infamia, tenetur qui ea dixit ad reſtitutionem famæ curando ut ſciant qui fuerunt præſentes, quando ea protulit, quod fuit per motum ſupradictum, ita communiter Doctores.

Colligitur ſimiliter, quod quando eadem verba ſupradicta proferuntur abſque eo quod imprimãt aliquem conceptum malum in audiente, aut ratione defectus fidei, quem habet proferens, aut ratione alterius motivi, non tenerentur maledicentes ad reſtitutionem famæ: attamen quando non excuſantur ratione impetus iræ inculpabilis, inadvertentiæ, aut ignorantiæ, peccant mortaliter. Clavis Reg. *lib.* 12. *cap.* 4. *num.* 8. Salon. *concluſ.* 4. *num.* 75. & alii.

Item colligitur, quod ita non faciat illos actus, aut ſigna honoris, quæ aliquis tenetur alteri facere, quando tamen à dicta omiſſione proveniat læſio dignitati, aut alteri prærogativæ illius, cui negatur debitum obſequium, peccatur mortaliter. Unde qui negat, ſeu non præſtat debitam reverentiam ſuo ſuperiori coram aliis conſubditis, committit culpam gravem. Eadem culpa committitur, quando negatur ſalutatio, & colloquium perſonæ, cum qua tempore præcedenti, & tranſacto familiaritas, & colloquia erant conſueta, ex odio tamen & cum ſcandalo, quia ſecluſis his non eſt peccatum aliquod, ſaltem grave; nam diſſoluta familiaritate, & ſtricta amicitia, quæ tantùm erant motivum honoris, & colloquii jam dicti, nullum remanet debitum, & obligatio ipſius. Filiuc. *tract.* 34. *cap.* 9. *quæſt.* 10. *num.* 251. Leſs. *lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 27. *num.* 132. Bonac. *loco cit. punct.* 2. *num.* 3. *& in tract. de Charitate punct.* 3. Beja, Navarr. Bannes, & alii.

In ordine verò ad modum, quo compenſandus, aut reſtituendus ſit honor ablatus per cõtumeliam, & deriſionem uno verbo dico, quod dicta reſtitutio fieri debet per actus dictæ contumeliæ, & deciſioni contrarios, oſtendendo externè illum reſpectum, & reverentiam debitam merito illius, cujus læſus fuit honor reſpectivè: quia non ſemper eſt ad propoſitum, petere veniam in compenſationem honoris ablati, ut v. g. non liceat petere veniam ſubdito, aut famulo offenſis in hoc genere à Superiore, Domino, aut Principe; ſicuti valdè proportionatus modus eſt inter æquales, vide Bonacinam *loc. cit. num.* 1.



Digitized by Google

## DUBIUM V.

### *Quid ſit Murmuratio.*

MUrmuratio eſt locutio nociva famæ ſui Proximi habita ad ſeminandam diſcordiam inter multos. Ita ex D. Thoma 2. 2. *quæſt.* 74. *art.* 1. Differt in hoc à detractione, & contumelia, quia detractio habet pro ſuo fine ſimpliciter injuſtam denigrationem famæ alterius, & contumelia honoris proximi læſionem: ſed murmuratio habet pro fine perturbationem amicitiæ inter plures animos. Salòn. 2.2. *quæſt.*74. *art.* 1. Filiuc. *num.* 136. Quamobrem ſi ſit in materia gravi, eſt peccatum majus duobus ſupradictis, cum contineat in ſe illa peccata, & ulterius voluntatem diſcordiæ, immò poteſt ſecundum omnimodam veritatem dici, quod murmuratio non admittit levitatem materiæ; adeoque ſemper eſt culpa gravis, dum finis illius eſt vera, & propria diſcordia, quæ infert damnum notabile proximo ad differentiam ſupradictarum, quæ ut diximus, admittunt materiæ levitatem. Azor. 1.*par. lib.* 13. *cap.*8. Navar. Filiucc. Clavis Regia *lib.*12.*cap.*5.ſecuti D.Thomam ibi ſupra.

Nec ſufficit dicere, quod multoties diſcordia non ſolùm non eſt nociva, ſed utilis, cum tollatur per iſtam occaſio peccandi: quia in ſimili caſu non debet dici murmuratio talis locutio; dum finis ejus in dicto caſu eſt utilitas major, qua poſſit umquam eſſe proximi, hoc eſt ſalus animæ ipſius. Sicuti nec etiam dici debet, quod poteſt excuſare murmurationem inadvertentia, aut ignorantia, quia utraque velat murmuranti finem formalem, hoc eſt diſcordiam: quia quamvis dici non poſſit, quod aliquis malum dicere neſcit detrahendo de proximo ſuo; verè dici poteſt, quod non advenit murmurando, aut neſcit finem ſupradictum, & conſequenter ſemper verum erit, quod murmuratio eſt culpa gravis, & numquam eximitur ab obligatione reſtitutionis famæ. Et hoc eſt totum, quod meo videri dici poſſit in hoc octavo præcepto.

Circa nonum, & decimum non occurrit aliquod particulare dicendum: quia nonum, in quo prohibetur deſiderium mulieris reducitur ad ſextum: & decimum, in quo prohibetur deſideriū rei proximi ſui ad ſeptimum reducitur: quia totum id, quod ibi fuit dictum in ordine ad executionem, & opus externum, intelligi debet quoad intentionem, & opus internum voluntatis. Dum peccatum, ut alibi diximus, non ſolùm committitur opere externo, ſed etiam voluntate internè deſiderando, ut colligitur ex D. Thoma 1. 2. *quæſt.* 72. *art.* 7.

De

Digitized by Google

*De Præceptis Sanctæ Eccleſiæ.*

VIſis & examinatis Decalogi præceptis: quia ultra illa ſunt alia poſitiva Eccleſiæ Sanctæ, quæ ſunt quinque hoc eſt. Non manducare carnem die Veneris, & Sabbati, & jejunare in Quadrageſima, & in Vigiliis de præcepto: Miſſam audire, in omnibus diebus feſtivis etiam de præcepto: Confiteri ſaltem ſemel in anno: Euchariſtiam ſumere in Paſchate Reſurrectionis: Et Decimas ſolvere apud Petrum Caniſium in ſumma Doctrinæ Chriſtianæ *cap.* 3. Alii addunt ſextum. Non celebrandi nuptias temporibus prohibitis: hoc eſt á Sabbato poſt Veſperas ante primam Dominicam Adventus uſque ad totam diem Epiphaniæ Domini, & à die Martis pariter poſt Veſperas ante diem Cinerum uſque ad totam diem Dominicam in Albis. In ordine ad quatuor, aut quinque poſt primum ex his præceptis occurrunt breves difficultates: in primo vero ſunt majores. Incipiendo igitur ab iſto ſit.

## DUBIUM I.

### *Quid & quotuplex ſit Jejunium.*

HOC nomen Iejunium derivat ab uno inteſtino, quod invenitur in ventre hominis vocatum hoc nomine jejunium, quia ſemper eſt vacuum. Unde jejunium ſignificat privationem cibi, aut potus, à quibus repletur ſtomachus, & quia hæc privatio vel poteſt eſſe totalis non admittendo ullum cibum, neque potum ullius generis, aut non excludens in omnibus ſupradictum cibum, aut potum, idcirco.

Dividitur jejunium in naturale, & Eccleſiaſticum. Iejunium naturale eſt illud, quo aliquis privatur quocumque cibo, aut potu, quibus frangitur jejunium, & præceptum ipſius non obſervatur, dum ſumitur, & ad ſtomachum tranſmittitur quælibet res per modum cibi, ac potus. Adeòque ſi ſumatur in ore res aliqua extra mittendo illam priuſquam ad ſtomachum perveniat: aut ſi ad ſtomachum tranſmittatur, non tranſmittatur per modum cibi, ſed per modum ſalivæ, ut vocant Doctores, non frangitur jejunium naturale, quod requirit utramque conditionem neceſſariò, ut diximus: hoc eſt quod non tranſmittatur hoc, quod in ore ſumitur ad ſtomachum, & quod ſi tranſmittatur, non ſit per modum cibi aut potus, ſed per modum ſalivæ, Reginald. *lib.* 4. Filiucc. *tract.* 27. *cap.* 1. *num.* 6. & alii communiter.

Eccleſiaſticum illud eſt, per quod aliquis privatur cibo non in omnibus, ſed eo modo quo præcipit Eccleſia, quæ vult unicam commeſtionem in die, quæ dies



Digitized by Google

intelligitur ab una ad aliam mediam noctem. Navarr. *cap.* 21. *num.*11. Tolet.*lib.6.cap.*1.*num.6.* Bonac. Tàm naturale, quàm Eccleſiaſticum ita definiuntur uniformiter à Doctoribus. Voluntaria privatio, ſive abſtinentia vel cibi tantùm (quod pertinet ad Eccleſiaſticum) aut cibi, & potus, (quod eſt jejunium naturale, ut fuit dictum) juxta præceptum Sanctæ Eccleſiæ, quæ præcipit, ac ſacram ſynaxim ſumendam, hoc eſt à media nocte uſque ad tempus in quo debet aliquis communicari ob reverentiam Sanctiſſimæ Euchariſtiæ: ſecundum verò ad mortificandum, & frenandum ſenſum indomitum D. Bonav. 4. *diſt.*25. *part.* 2. *art.* 2. *quæſt.* 2. In ordine ad primum non occurrit aliud peculiare dicendum, niſi quod dictum jejunium tantum diſpenſatur infirmis ad ſumēdum Sacratiſſimum Viaticum. Ut habent Doctores communiter. In ordine verò ad Eccleſiaſticum obſervandum eſt.

Primò, quod ille, qui non habet voluntatem jejunandi, aut actualem, aut virtualem non jejunat, quamvis ſe abſtineat à cibo, ut dictum fuit ſupra: quia non ſufficit abſtineri à cibo, & comedere unica ſola commeſtione, ut dicunt, ſi non adſit voluntas jejunandi ut ſupra. Quare ſi non comedat niſi ſemel, quia non habet cibum, quo poſſit dupliciter comedere, ſeu pluries in eadem die, non dicitur jejunare. Bonacin. *de legibus punct.* 10.*num.*2.cum Sanchez, Reginaldo *loco cit.* & Filiucc. *etiam loco citato quæſt.* 5. *num.* 7.

Dixi voluntatem actualem, aut virtualem: quia quamvis aliquis non habeat expreſſam voluntatem de præſenti jejunandi, quæ dicitur actualis; ſufficit ut prius habuerit hanc voluntatem, & numquam illam per actū contrarium retractaverit, quæ dicitur virtualis voluntas.

Secundò obſervādum eſt, quod comedendo bis, aut pluries in eadem die prandendo de mane, & cænando de ſero, non jejunatur: cum iſta ſit conſuetudo Eccleſiæ, quamvis in præcepto præcipiatur jejunium, non autem modus: quia uſus & conſuetudo eſt alia lex, ut dicunt Canoniſtæ: & quamvis permiſſus ſit aliquis cibus, & potus ſumendus de ſero, quæ vulgo dicitur collatione: aut motivo legitimo de mane; non debet hæc ſumptio cibi & potus dicta talis eſſe, ut faciat prandium, aut cænam, ſed tantùm illam quātitatem, quæ ſufficiat pro conſervatione, vel uſque ad diem ſequentem, vel uſque ad cœnam habendam de ſero illius diei. Ita ſummiſtæ communiter.

Tertiò, quod bibendo etiam pluries in eadem die, in qua aliquis jejunat ſive antè, ſive poſt prandium, ſive ſit aqua, ſive vinum, ſive Cioccolata, ſive Caffè, ſive alius quilibet liquor: dummodo non ſit cibus liquefactus,

ut

Digitized by Google

ut lac animalis, amigdolarum, ſimilium, neque juſculum carnis, non frangit jejunium; quia illud, quod communiter exiſtimatur cibus, prohibetur ſumi ante, ſive poſt prandium, quando non ſit in ſumptione cibi facta pro ſubſtentatione de ſero, ut diximus. Non prohibetur tamen aliquis fructus, ſeu pomum, cum ſit parva res non apta ad frangendum jejunium D. Thomas 2. 2. *quæſt.* 147. *art.*6. ad ſecundum Cajet. ibidem, Navarr. *num.*52 Reginald. *n.*151. Filiucc. *num.*43. Gabriel *diſp.*13. *quæſt.* 3. Ex quo ſequitur, quod ſi aliquis ſentiat aliquem ſtomachi languorem, & conſequenter neceſſitatem alicujus parvæ refectionis poteſt abſque ſcrupulo interdiù ſumere parum cibi cum potu. Simile fieri etiam poteſt ratione urbanitatis, quandò non ſit ſuper excedens Emanuel Sà verbo jejunium *num.*8. Reginald. *lib.* 4. *n.* 174. & 189. Bonac. loco cit. *num.* 4 & alii.

Quartò, quod ſi ſumatur aliquod pro medicamento, ſive ſit res compacta, & commeſtibilis, ſive liquida, eriam ſi eſſet juſculum carnis in tota illa quantitate, quæ neceſſaria exiſtimatur tantùm; non frangitur dictum jejunium Eccleſiaſticum: quia illud: quod ſumitur per modum medicamenti, non ſumitur per modũ cibi, quod ſolummodo prohibetur, ut diximus. Riccard. *diſp. art.*3. *quę.*7. Paludanus *qu.*4. *concl.* 3. cum Toleto, Filiuccio, & aliis.

Quintò, quod non peccat contrà hoc præceptum, qui tantùm in refectione, ſive prandio comedit lautè, ita ut per illam non experiatur ullam repugnantiam in jejunando illa die: quamvis peccet ſaltem venialiter peccato gulæ contra virtutem temperantiæ: & ratio eſt, quia in hoc præcepto præcipitur ſimpliciter una commeſtio ſine ulla moderatione ejuſdem commeſtionis. Abulenſis *in cap.*6. Matthæi *quæſt.*166. Covarruvias 5. *var. cap.*20. *n.*11. Medin. *cap.* de jejunio *quæſt.*6. Reginald. *lib.*4. *n.*175. Cajetanus, Bonacin. & alii.

Sextò, quòd tranſgreditur idem præceptum, non ſolùm qui non comedit ſemel tantùm in die jejunii; verùm etiam qui comedit cibos prohibitos in Quadrageſima, & in omnibus aliis diebus jejunii, niſi excuſetur à parvitate materiæ, ut habetur *cap. ſtatuimus* D. 4. & 6. Synodo *cap.* Canone 56. & in D. Thoma *quæſt.* 141. *art. ultimo*. Qui cibi ſunt omnes ſpecies carnis, quæ pariter prohibentur in diebus Veneris, & Sabbati: & ulterius Ova, & Lacticinia cujuſque generis in locis tamen, ubi ſit talis conſuetudo: cum non ſit aliqua lex, quæ poſitivè prohibeat iſtos cibos, ſed conſuetudo, quæ vim legis habet, ut diximus, ità ut ibi talis conſuetudo eſt, ſi comedantur dicti cibi in die jejunii, peccatur mortaliter, niſi excuſet materiæ parvitas. Bonacin. de legibus in genere

nere Leſs.Ludovicus Cardo, Rodriquez, & alii. Quia autem ſunt aliquæ ſpecies animalium, de quibus dubitatur, an ſint nec ne carnes; ad tollendum omnem ſcrupulum, informetur advena, qui tranſeunter invenitur in aliquo loco,ſi ille cibus judicatur ibi carnis, aut piſcis, & an ſoleant tempore jejunii habitatores ejuſdem loci illum comedere: quo ſi inveniat, non eſſe carnem, neque aliũ cibum ibi non comedi ſolitum dicto tempore jejunii comedet illum tuta conſcientia; cum hæc ſit regula communiter pro infallibili aſſignata à Doctoribus, ut advertit Filiuccius ut ſupra *num*.47.

Septimò, quod tenetur ad jejunium, qui cum privilegio ſpeciali diſpenſatur à qualitate cibi comedi ſoliti in diebus jejunii: quia cum ſit dictum jejunium inſtitutũ ad mortificandum noſtrum ſenſum,non tantùm per abſtinentiam qualitatis cibi, verùm etiam à quantitate, hoc eſt a comedendo per modum refectionis, aut prandii pluſquam ſemel in die; ſi aliquis diſpenſetur in primo,non debet per hoc intelligi diſpenſatus in ſecundò, niſi clarè exprimatur in privilegio ſeu bulla. Sicuti qui diſpenſatur in jejunio,non diſpenſatur in qualitate ciborum: immò experientia eſt in favorem hujus, quod aſſero: dum tempore contagii cum Summus Pontifex Alexander Septimus fel.mem.diſpenſaverit in qualitate ciborum pro tempore quadrageſimali, non diſpenſavit in jejunio, quoad unicam commeſtionem faciendam. Unde ſi aliquis non comedat cibos ſolitos jejunii, quia ſibi notabiliter nocent, non propter hoc non tenetur ad non comedendum niſi ſemel. Ità Leſs. *dub*.6. *n*.24. Navarr.*cap*.21.*num*.22.Reginald. *lib*. 4. *num*. 168. Corduba, Valentia, Bonac. & alii: quamvis non deſint Authores, qui contrariam ſententiam ſuſtinent abſque tamen ſubſiſtenti fundamento: videlicet Tolet. *lib*. 4. *cap*. 3. *n*.4. Azor. *lib*. 7. *cap*. 10. *quæſt*. 3. Filucc. *tract*. 27. *cap*. 3. *quæſt*. 4. Conſulant igitur propriam conſcientiam illi, qui tempore quadrageſimæ diſpenſantur in cibis carnium, quia non jejunando non ſunt in illa tuti, dummodo expreſsè non diſpenſentur etiam in jejunio, quod fieri non ſolet niſi in caſu gravis infirmitatis, indiſpoſitionis, aut alterius, per quod non poſſit abſque gravi incommodo percurri tota dies abſque iterato cibo, ut lactantes, & ſimiles ultra infirmos, qui ſimiles indiſpoſitiones patiuntur. Reginald. *lib*. 4. *num*. 168. Navarr. *cap*. 21. *num*. 22. Leſs. *dub*. 6. *num*. 24.

Octavò, quod illi qui alterutro ex ſupradictis modis non tenentur ex neceſſitate, hoc eſt ratione infirmitatis, aut ex alio motivo legitimo, ut ſupra diximus in præcedenti §. non per hoc exempti ſunt à petenda facultate non jejunandi, dummodò tamen ſit dubium, an neceſſitas vera,

aut

Digitized by Google

aut non vera ſit: quia ſi evidens ſit dicta neceſſitas, non tenentur, cum hæc ſuperior ſit ad omnem legem. Silveſt. verbo jejunium *num.*2. Azorius, Rodriquez, Reginald. & alii apud Bonacinam ut ſupra *num.* 5. Benè tamen erit, tùm ad obediendum Superiori, qui illud præcipit, tùm ad ponendam in tuto conſcientiam, petere dictam licentiam ab eodem Superiore, aut ab alio, ab eodem ad hoc deputato.

Nonò, quod prohibito uſu carnis, non prohibetur uſus ovorum, & lacticiniorum exemplum eſt clarum: dum die Veneris, & Sabbati prohibetur caro, non tamen per hoc prohibentur ova, & lacticinia. Paludanus in 4. d. 15. *quæſt.* 4. *art.* 4. *concluſ.* 2. Azor. Bonac. Reginald. & omnes paſſim contrà Covaruviam 5. *var. cap.* 20. *num.* 14. ex oppoſito verò quando conceditur commeſtio ovorum, & laticiniorum, non intelligitur conceſſa commeſtio carnis: & ratio eſt, quia conceſſo majori cibo intelligitur etiam conceſſus minor, ſed conceſſo minori non intelligitur conceſſus maior: in maiori enim continetur minor, non verò è contra. Medina in Inſtruct. *lib.* 1. *cap.* 14. §. 10. Azor. *cap.* 10. *quæſt.* 4. Sanchez Filucc. & alii apud Bonacinam de legibus, & de octavo Decalogi præcepto *diſput. ult. quæſt. unica punct.* 2. *num.* 4.

Neque debet ullo modo ex hoc inferri, quod idem obſervandum ſit in diſpenſatioue carnis tempore jejunii: hoc eſt quod diſpenſata carne dicto tempore, debet etiam præſumi diſpenſatum jejunium, ut malè infert Azorius, Toled. & Filucc. loco ſupracit. quia diſpenſatio comedendi carnem maior eſt diſpenſatione ieiunandi: quare juxta doctrinam aſſignatam, ſi diſpenſatur caro, intelligitur etiam diſpenſatũ ieiunium. Non debet, inquam, hoc inferri; quia doctrina currit quod ad res illas, quæ ſunt in eodem genere, non autem quoad illas, quæ ſunt indiverſo. Quamobrem cum qualitas diverſi generis ſit à quantitate: ſequitur quod cum aliquis tempore ieiunii diſpenſetur in qualitate cibi, non intelligatur diſpenſatus in quantitate, ut bene probat Bonac. ut ſupra *num.* 3. Dicendum igitur quod majus, & minus oppoſitum à contrariis intelligi debet in eodem genere: quare ſi aliquis diſpenſetur in qualitate cibi; cum diſpenſetur in re maiori in genere cibi, diſpenſatur etiam in minori ejuſdem generis. Quare diſpenſatus quoad cõmeſtionem carnis, quod eſt majus, intelligitur etiam diſpenſatus quoad commeſtionem ovorum, & lacticiniorum, quod eſt minus: non autem in jejunio, quod eſt in diverſo genere. Itaque ut ſi diſpenſatus etiam in jejunio, quod eſt eſſe diſpenſatum in quantitate ut ſupra; neceſſe eſt, ut declaretur in privilegio, ſeù bulla. Idem Bonacina cum



Digitized by Google

Navarro: Reginald. & Leſs. locis cit.

Decimò, quod quando diſpenſatur jejunium, non intelligitur per hoc diſpenſata qualitas ciborum per rationem ſupradictam: hoc eſt quia diſpenſata in jejunio abſtinentia in uno genere, non intelligitur diſpenſata in alio: quando non ſit hoc expreſsè declaratum. Adeòque in quadrageſima Dominicæ eximuntur à Ieiunio, non autem à qualitate ciborum quadrageſimalium. Emanuel Sà verbo ieiunium *num.* 11. Bonac. *punct.*3.*num.*3. Leſs. Corduba, Navarr. Victoria Rodriquez, Valentia, & alii.

Undecimò, quod in ſumptione cibi, ſeu parva refectione permiſſa in diebus ieiuniorum ut ſupra, aut conceſſa per uſum, & conſuetudinem poteſt aliquando augeri in quantitate, non ita tamen ut formet cęnam: hoc eſt in vigiliis, ſeu ieiuniis Nativitatis Domini Noſtri, & duorum Paſchatum Reſurrectionis, & Pentecoſtes; & in dicta parva refectione ſerotina vult maior pars Doctorum, quod poſſint ſumi, ſeu comedi etiam res coctæ, dummodo illa retineat eſſe dictæ parvæ refectionis tam in quantitate, quam in qualitate. Unde non ſolum poſſunt comedi pro obſonio fructus, & herbæ, verùm etiam piſces Caiet. verbo Ieiunium *cap.*1. Medin. in Inſtruct. *cap.* 4. §. 10. Bonac. *num.* 2. & Filucc. *num.* 31. & alii communiter.

Duodecimò quod ille, qui pluries comedit in die tempore ieiunii cibos, qui ſolent comedi in dicto tempore, peccant mortaliter tantum prima vice, hoc eſt comedendo poſt primam commeſtionem: dum jam fregit ieiunium. E contra verò accidit in commeſtione ciborum prohibitorum in dicto tempore: quia quoties illi comeduntur, committitur culpa gravis: dummodo tamen non excuſet parvitas materiæ. Ratio eſt, quia præceptum ieiunandi eſt affirmativum: quod obligat ſemper, ſed non ad ſemper: præceptum verò non comedendi carnem, aut aliud, eſt negativum, quod obligat ſemper, & ad ſemper: hoc eſt, ut aliàs diximus, non ſolùm ſemper obligat, uti eſt præceptum affirmativum verum etiam pro omni tempore. Unde quoties aliquis ieiunium fregit comedendo ſecunda vice per duplicatam commeſtionem, ſi comedat tertia, quarta, aut pluries in eadem die non committit peccatum niſi prima vice poſt primam commeſtionem. Ex oppoſito verò qui comedit in die ieiunii, aut in aliis temporibus prohibitis cibos carnis &c. toties peccat, quoties comedit dictos cibos Silveſt. verbo ieiunium *quæſt.*8. Angelus eodem verbo *num.* 22. Tolet. *lib.*6. *cap.* 8. *num.*5. Rodriquez *part.*1. *cap.*23. *num.* 1. Layman. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 12. Valent. *tom.* 3. *diſput.*9. *quæſt.* 2. *punct.* 3. Filuc.

*num.*

*num.* 23. Bonac. *punct.* 3. *num.* 7. & alii cum Leſſio, Emanuel Sà, & Azorio contra Medinam *cap.* de Jeiunio *quæſt.* 4. Covar. Ruvium *lib.* 4. *cap.* 20. *num.* 16. & alios apud Azorium *lib.* 7. *cap.* 9. *quæſt.* 2.

Decimo tertiò, quod Dominus, aut pater familias, ſive quicumque alius Superior cujuslibet cōditionis peccat mortaliter dando occaſionem voluntariè non ieiunandi Servis Filiis, Inferioribus aut Subditis, ſi præcipiendo ut non ieiunent, aut dando illis occaſionem proximam non ieiunandi præbendo cibos, qui poſſint frangere ieiunium, tam in qualitate hoc eſt carne, aut alio, quàm in quantitate, præbendo de ſero illam quantitatem cibi, quæ non faciat parvam refectionē dictam, ſed totum ſufficiens ad cænādum: ſicuti etiam, quod erit fortaſſe facilius, negando illi neceſſarios cibos non prohibitos pro victu neceſſario illius diei: ex quo cogantur frāgere dictum ieiunium. Non peccat tamen Servus, qui ratione ſui officii, ità precipiente Domino, eidem præbet tempore ſupradicto dictos cibos prohibitos tam in qualitate, quàm in quantitate: dum in hoc caſu refunditur in Dominum. Azor. *quæ.* 12. Reginald. *lib.* 4. *num.* 196. Fillucc. *num.* 91. Bonacin. circa octavum Decalogi præceptum *diſput. ult. quæſt.* 1. *punct.* 3. *num.* 9. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 147. *artic.* 4. Reginald. *num.* 194. Azor. *quæſtione* 1. & alii.

De cauponibus, & aliis ſimilibus diverſus eſt caſus: quia non ſunt propriè Servi, ſed ſui Iuris: unde præbendo iſti ſimiles cibos in tempore ieiunii, ſi notum ſit illis non ad eſſe aliquam neceſſitatem, neque privilegium, aut diſpenſationem: peccant mortaliter tam præbendo cibos in qualitate carnis, quàm de ſero cœnam, ſi de mane prandiderunt, ut habet Tolet. *cap.* 5. *num.* 4. Quod debet intelligi in ordine ad hoſpites catholicos, quia in ordine ad infideles, ſi hoſpitio recipiantur, & ſint tolerati, & admiſſi ad habitationem inter catholicos à Sancta Sede: in hoc caſu, ut ait Bonacina, & alii paſſim, licitum eſt illis illum cibum præbere quem petunt: quia cum ſint tolerati quoad habitandum, & morandum, intelliguntur pariter tolerati quoad modum vivendi.

Decimo quartò, quod interrupto prandio in die ieiunii cum intentione illud continuandi ratione alicujus occupationis, aut neceſſitatis, quæ ſupervenerit tempore commeſtionis, aut pro ſuo libito, non frangit ieiunium: quamvis interruptio eſſet per longum tempus: quia quamvis phyſicè dici poſſent duæ commeſtiones; moraliter tamen ratione intentionis continuandi eamdem commeſtionem eſt unica tantùm. Si verò interrumpatur cum intentione non continuandi, frangitur ieiunium, reaſſumendo commeſtio-

meſtionem, quamvis mora ſit brevis: dummodo tamen ille talis habuerit expreſſam, & abſolutam intentionem finiendi diſcedens è menſa. Quod ſi habuit intentionem conditionatam finiendi, ſi mora erit longa; in illo caſu poteſt iterum reverti ad comedendum cum non fuerit adimpleta conditio intentionis complendi prandium. Hoc tamen intelligi debet, quando commeſtio reaſſumpta non ſit parvi momenti, quia in hoc caſu ratione parvæ materiæ, quamvis habuerit intentionem abſolutiſſimam non continuandi poteſt ad prandium reverti. Navarr. *cap.*21. *num.* 15. Leſs. *lib.* 4. *cap.* 2. *dub.* 2. Cajet. *verbo Jejunium cap.*1. Tolet. *lib.* 6. *cap.* 2. *num.*4. Layman, Bonacina, & alii.

## DUBIUM II.

### *Quomodo inſtitutum ſit Jejunium.*

JEjunium, quamvis proveniat à Chriſto Domino Redemptore, qui ieiunavit quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, prout habetur ex Evangelio; nihilominus non fuit propriè, & formaliter inſtitutum, & præceptum ab ipſo, ſed à Sancta Eccleſia. Hoc eſt priùs ab Apoſtolis, tamquam à Capitibus principalibus ejuſdem; poſtea à Canonibus D. Clement. *lib.* 5. *conſtit. Apoſt. cap.* 12. D. Hieron. *epiſt.* 10. *ad Marcel.* & alii apud Layman. *lib.* 4. *tract.*8. *cap.* 2. *num.* 1. quamvis aliqui velint, quod inſtitutum ſit ab eodem Chriſto, fundati in auctoritate S. P. Auguſt. *in Pſalm.* 100. ac S. Ambr. *ſerm.* 23. 25. & 27. tamen ſit quomodocumque, certum eſt, quod ab exemplo noſtri Divini Magiſtri ab Eccleſia præceptum fuit ieiunium, tam quadrageſimale, de quo eſt aliqua difficultas ratione auctoritatis Sanctorum Patrum dictorum, quàm illud quatuor temporum, & aliorum: unde nuncupatur ieiunium Eccleſiaſticum.

Obligatio igitur ieiunandi habetur à præcepto Sanctæ Matris Eccleſiæ, quæ fundatur, ut diximus in exemplo Chriſti Domini, rigoroſè præcipit tempus, in quo ieiunari debet, quod eſt quadrageſima exceptis ejuſdem Dominicis; & tres dies pro quolibet diverſo anni tempore, aſſignando dies præciſos: unde dicuntur ieiunia quatuor temporum, *cap. ſtatuimus dub.* 76. Ulterius præcipit aliquos dies, præcedentes aliquas Feſtivitates peculiares B. Virginis Mariæ, Sanctorum Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum in Kalendario deſcriptorum, qui retinuerunt nomen Vigiliæ, quia antiquitus erat conſuetudo Eccleſiæ ultra ieiunium diei, etiam vigilare de nocte in Eccleſiis, quod poſtea abolitum fuit juſtis de cauſis. Habetur etiam dicta obligatio per uſum, & conſuetudinem ſupradictam, quæ, ut ſupra



Digitized by Google

pra diximus, habet vigorem legis. Quamobrem in aliquibus locis, quamvis non ſit aliqua lex ſeu poſitivum præceptum; ratione uſus, ac conſuetudinis ieiunandi tantum ieiunatur in aliquibus diebus ita, ut frangere dictū ieiunium in dictis diebus ſit peccatum grave. Belarmin. *tom.* 3. *lib.*2. *cap.*17. Medin. Regin. Valent. & alii.

Obſervandum tamen, quod Eccleſia Sancta numquam præcipit ieiunium in diebus Dominicis, quamvis præcipiat abſtinentiam à carnibus, & aliis juxta conſuetudinem, ut dictum fuit, prout præcipit in diebus Dominicis Quadrageſimæ. Unde in caſu, quo in die præcedenti aliquod Feſtum ſit obſervandum ieiunium, ſit dies Dominica, tranſfertur ad diem Sabbati immediatè præcedentem Dominicam *cap. ex parte de obſervat. Jejunii*. Et quamvis non ſit præceptum poſitivum Sanctæ Eccleſiæ, nihilominus interpretativè habetur præceptum ratione uſus. Itaque ſi aliquis velit ieiunare ex devotione, aut voto, puto non eſſe hoc faciendum in dictis diebus, ad inhærendum piæ, & iuſtæ conſuetudini Eccleſiæ non obſtante auctoritate nonnullorum Doctorum inter quos numerantur Navar. Filluc. & Silveſt. qui oppoſitum ſuſtinent: cum per hoc magis ſcandalum, quàm devotionem pariant in proximo vidente.

Sunt etiam alii dies ad ieiuniū deſtinati cum obligatione culpæ gravis ex præcepto Prælatorum tam Secularium, quàm Regularium, quæ ieiunia pariter debent obſervari cum omni rigore, tam in locis ſubjectis dictis Prælatis, aut Epiſcopis Secularibus, quàm in Religionibus, in quibus ratione præcepti formalis ſuarum Regularum, ſeu Conſtitutionum Religioſi tenentur eas obſervare. Silveſt. verbo Ieiunium *quæſt.* 2. Palud. & alii apud Azorium *lib.* 7. *cap.* 19. *quæſt.*2.

## DUBIUM III.

*Quinam Jejunare teneantur, aut ſint exempti, & quænam ſit hora pro prandio deſtinata.*

QUilibet Chriſti Fidelis, qui uſum habeat rationis, cum pervenerit ad annum vigeſimum ſecundum ætatis ſuæ; ſeu completo vigeſimo primo dictæ ætatis tenetur ad ieiunium ſupradictorum dierum de præcepto Eccleſiæ. Itaque ſi aliquis uſu rationis ſit privus, non tenetur ad ieiunium: cum non ſit ulli legi ſubiectus, quia eſt privus propria libertate eſſentialiter requiſita ad merendum, aut demerendum, & conſequenter ad hoc ut ſit capax legis, ex obſervantia, aut inobſervantia cujus habetur meritum, aut demeritum. Ita communiter Cauſtæ cum Theologis.



Digitized by Google

Obſervandum tamen, quod, cum aliquis pervenerit, ut dixi, ad annum vigeſimum ſecundum ætatis tenetur ad ieiunium Eccleſiaſticum, ad quod prius non tenebatur: non fit tamen ab obligatione alterius ieiunii exemptus, ad quod ſpontè, & liberè ſe obligaverit ex voto; ſive ad quod teneatur ex pœnitentia à Confeſſario iniuncta. Silveſt. verbo Ieiunium *quæſt.*9. Azor. *lib.*7. *cap.*27. *quæſt.* 3. Bonac. *num.* 1. Filiuc. *num.*3. Ex quo colligitur primò, quod non poteſt aliquis ieiunare loco alterius ad ſatisfaciendum præcepto: quia, cum impoſitum ſit dictum præceptum ad mortificandum ſenſum,& domandas paſſiones, conſequenter eſt perſonalis: hoc eſt directum ad perſonam particularem: unde non poteſt vice mea ſatisfacere alius: mortificatio enim alterius non me mortificat. Verum quidem eſt, quod poteſt aliquis ieiunare in ſuffragiuw defuncti, & ad impetrandam à Deo ſalutem ſpiritualem, aut temporalem alicuius viventis: quia hoc non eſt ieiunium vice alterius factum; ſed tantum ut illi proſit, cui applicatur dictum ieiunium Reginald. *lib.* 4. *num.*187. Azor. *cap.*21.*quæſt.ult.* Bonac. *num.*2. & alii.

Secundò, quod, ſi aliquis ieiunare non poteſt, non propter hoc, in illa die ieiunii tenetur facere alia opera bona; neque tenetur ieiunare in alia die, niſi habeat de his permutationibus privilegium ſpeciale: cuius rationem Doctores aſſignant; quia hoc præceptum eſt determinatum, & affixum huic tantum operi, aut actioni mortificativæ, & non alteri; ſicuti huic diei, & non alteri. Navar. *cap.* 21. *num.* 22. Reginald. *lib.* 4. *num.* 187. *diſt.* 13. Unde ſicuti Sacerdos, aut alius, qui teneatur recitare Officiũ Divinum quotidie, non poteſt illud commutare in aliud opus pium: neque pro ſuo libito poteſt iterũ celebrare Miſſam in alio die, ultra illum feſti, in quo tenetur illam audire abſque culpa mortali; dummodo cauſa legitima non excuſet:ita nec etiam poteſt commutari, aut transferri, ut diximus ieiunium. Ut colligitur ex L. manifeſtè C. de ſolutionibus.

Tertiò, quod ex oppoſito, qui tenetur ieiunare ex voto, poteſt commutare diem; quando votum ſit ieiunandi in aliqua die indeterminatè anni, menſis, aut ſeptimanæ, dummodo ſit intra illũ annum, menſem, ſeu ſeptimanam voti emiſſi. Si verò votum ſit emiſſum ieiunandi pro ſuo libito intra tempus propriæ vitæ, ieiunare poteſt quando vult: ad hoc autem,ut tutus ſit in conſcientia, illico ieiunare debet, cum incerta ſit hora mortis noſtræ. Quod ſi diem determinavit, non poteſt pro ſuo libito illum permutare, ſed tantum ex facultate hanc authoritatem habentis. Quare, ſi non poſſit ieiunare in illa determinata die, aſſignata per votum,

non

non ideò tenetur alia die ieiunare, ut dictum fuit ſuperius de eo, qui ieiunare tenetur ex præcepto. Idem dicendum eſt reſpectivè de eo, qui tenetur ad ieiunandum ex pœnitentia injuncta à Confeſſario. Azor. loco citato Reginald. Filiucc. & alii.

Quartò, quod Religioſi tenentur ad ieiunia introducta ex conſuetudine in aliquo loco, ubi ſunt eorum Monaſteria, ſive Conventus; dummodo non ſit dicta conſuetudo pro Laicis tantùm, & Eccleſiaſticis: quia in hoc caſu, ſicuti Sęculares non tenentur ad ieiunium commorantes in Conventibus, aut Monaſteriis Religioſorum: ità non tenentur Religioſi commorantes in locis Sęcularium. Igitur extra hunc caſum tenentur Religioſi ieiunare in dictis locis: quia ſicuti tenentur in ſimili caſu conſuetudinis generalis, quæ obligat omnes, obſervare feſtivitates, ità pariter tenentur obſervare ieiunia. Reginald. *lib.* 4. *num.* 135. Bonac. ut ſupra Azor. loc. cit. *quæſt.* 2. & alii. Non tenentur tamen ad præceptum Epiſcoporum ieiunandi, in eorum Diœceſibus, in quibus morantur dicti Religioſi: cum ex iuſtitia non ſint ſub eorum Juriſdictionibus in ſimili caſu, ut aſſerunt multi. Bonac. *diſput. ult. quæſt.* 1. *punct. uit. num.* 5. & Azor. loco cit. Qùomodocumque tamen hoc ſit, ego dico, non debere ullo modo dictos Religioſos ieiunium omittere in dicto caſu, ſaltem ratione ſcandali, quod poſſunt probabiliter ſumere Sæculares ſimilis doctrinæ incapaces eo vel magis, quia hæc non eſt communis: quod pariter advertunt iidem Auctores.

Quintò, quod non tenentur advenæ ieiunare, quando morantur tranſeunter in aliquo ſupradictorum locorum, ubi ieiunatur, ſive ratione conſuetudinis, ſive particularis præcepti, ut ſupra. Dixi tranſeunter; quia ſi determinent dicti Advenæ commorari in illo loco per aliquod tempus notabile: hoc eſt per maiorem partem anni, aſſerunt Doctores teneri, quibus etiam ipſe me ſubſcribo. Abulen. *in cap.* 6. *Matth. quæſt.* 140. Azor. *lib.* 7. *cap.* 19. *quæſt.* 4. Bonacin. *num.* 6. Reginald. *lib.* 4. *num.* 136. Filiuc. *tract.* 27. *cap.* 6. *quæſt.* 2. *num.* 106. Sanchez, Leſſius, & alii.

Quoad ſecundum punctum in hoc præſenti dubio propoſitum Dico, quod excuſantur ab obligatione ieiunandi omnes impotentes, ſive impotentia phyſica: hoc eſt, qui abſolutè loquendo, non poſſunt: ſive impotentia morali: & ſunt illi, qui licet poſſint abſolutè loquendo ieiunare; cum de præſenti nullam habeant infirmitatem, aut aliud obſtaculum, quod ieiunium impediat: per ieiunium tamen exponuntur evidenti periculo alicuius notabilis infirmitatis. Ita communiter. Unde à ieiunio eximuntur.

Primò Infirmi, aut Convale-

ſcen-

ſcentes, qui non poſſunt totum diem percurrere unica ſola refectione;qui hoc beneficio gaudent, non obſtante quod contraxerint per propriam culpam infirmitatem propriam: cum tantum impotentia in hoc reſpicienda ſit, non autem illius cauſa. In caſu autem, quod dubitaret ille, qui vult exemi ab obligatione ieiunandi, debet conſulere, ut tuta conſcientia operetur, Medicum, aut Superiorem,& melius utrumque. Præcipuè tamen illi, qui timent infirmitatem futuram ratione dicti ieiunii, videlicet vertiginem, notabilem vigiliam noctis futuræ, quæ poſtea illi cauſet dolorem capitis, ſive ſtomachi; aut alium membrorum tremorem, vel ſaltem ſummam debilitatem, & laſſitudinem: quia in ſimilibus caſibus quilibet falli poteſt, illectus à propria utilitate, & commodo, quæ præ oculis mentis ponant neceſſarium id, quod eſt exiguum incommodum. Silv. *verbo Jeiunium quæſt.* 9. Navarr. Toled. Bonac.& Layman *lib.*4. *tract.*8. *cap.*3. *num.*3. Azor. Leſs. *lib.*4. *cap.*2. *dub.*6. *num.* 40. Armil. *verbo Jeiunium quæſt.* 1. Medin. *cap. de Jeiunio quæſt.* 11. Abul. *quæſt.*165. & alii apud Reginald. *num.* 175.

Secundò, quod Fœminæ gravidæ, aut lactantes, quæ indigent frequenti commeſtione, primæ ratione fœtus, & ſecundæ ratione nutrimenti puerulo præſtiti per proprium lac. Quoad exemptionem verò qualitatis ciborum ieiunii cum magna circumſpectione procedere debent in hoc: dum ut diximus, non omnes illi, qui ſunt à ieiunio exempti, quo ad refectionem, exempti ſunt in ordine ad qualitatem ciborum: unde ut tutæ ſint in conſcientia, & ab omni ſcrupulo liberæ, conſulere debent Medicos, & Confeſſarios, ut ſciant, ſi ſint ab utroque exemptæ. Quod pariter dico, & puto exequendum in omnibus caſibus exemptionis in dicto ieiunio. Ita Doctores omnes ſupracitati.

Tertiò, Senes ſeptuaginta, aut ſexaginta annorum, qui indigent continuo nutrimento, quamvis ſani ſint, gaudent dicta exemptione: quia tamen finis huius exemptionis eſt reſtauratio viriū debilitatarum ratione ætatis: advertendum quod cognoſcens aliquis ſe ipſum vigoroſæ virtutis eſſe,non eſt concors ſententia Doctorum in concedenda ſupradicta exemptione illis, qui ſunt dictæ ætatis, ſed non aſſignantes in hoc tempus aliquod determinatum ætatis volunt tantùm, quod cum aliquis pervenerit ad illam, in qua invenitur deſtitutus viribus; ſe cognoſcit egenum dictę reſtaurationis, in qua ſententia etiam ipſe libentiſſimè convenio. Pro prima ſententia eſt Sanchez *in opere morali lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 54. Valent. *tom.* 3. *diſp.*9. *quæſt.* 2. *art.* 5. Leſs. *dub.* 6. *num.* 41. & alii. Pro ſecunda verò Leſs. Filiucc.

Digitized by Google

liucc. Rodriquez, Abulenſ. & inter alios Bonac. *de præceptis Eccleſiæ diſput. ult. quæſt.* 1. *punct. ult. num.* 4.

Quartò, eximuntur pauperes, & mendici, qui privationis ſufficienti cibo, quo poſſint vires reficere perfecta refectione: quamobrem famem tollunt per cibum diſparsè mendicatum, quo non poſſunt obſervare regulam conſuetam ieiunantibus prçſcriptam. Azor. *lib.*7. *cap.*17. *quæſt.* 7. Sylveſt. Navarr. Bonac. Filiucc. Reginald. Valent. & alii. Verum quidem eſt, quod cum aliqui ex his aſſignatis habeant elemoſynas firmas, & ſtabiles, quæ ſufficientes ſunt pro neceſſaria refectione, non video, quomodo non poſſint ex omnibus illis etiamſi diſpersè receptis in unum congregatis facere unam ſufficientem commeſtionem pro completa refectione, ſeu prandio, & obſervare ieiunium: hoc tamen aliorum meliori judicio remitto. Item excuſantur iſti tales etiam à commeſtione carnis, ſi alium cibum non inveniant, non tamen à ieiunio, quando cibum ſufficientem in quæſtuatione habeant ad refectionem etiamſi moderatam, dummodo ſit ſufficiens: cum, ut jam dictum fuit, diſpenſatio ciborum non eſt diſpenſatio ieiunii. Tolet. *lib.*4. *cap.* 6. *num.* 3. Azor. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 7.

Quintò, omnes illi, qui adhuc non compleverunt annum vigeſimum primum ætatis ſuæ: quamvis ſint ſani, & robuſti; quia hoc beneficium habent tantùm à lege ratione imbecillitatis ſtatus, in quo ſunt, à qua imbecillitate, ut natura poſſit proficere, habent ſupradicti neceſſitatẽ majoris quantitatis nutrimenti, quam alii, adeoque etiam cibi, & refectionis, & non unius tantùm. Ferè communiter omnes Doctores, ut videre eſt apud Filuccium *tract.* 27. *quæſt.* 7. *num.* 57. *contra Medinam cap. de Jeiunio quæſt.* 9. Angel. *verbo Jeiunium quæſt.*13. & alios. Sunt igitur iſti exempti à ieiunio, non autem à qualitate ciborum, ad abſtinentiam quorum obligantur à Sancta Matre Eccleſia. Azor. Bonac. Leſs. Layman, & Reginald. *lib.*4. *num.*205. 207. & 208. Neque huic obſtat, quod Religioſi in dicta ętate conſtituti obligentur ad totale ieiunium; hoc eſt tàm in ordine ad qualitatem; quàm in ordine ad quantitatem ab eorum Religione: quia iſti cum plena, & perfecta libertate ſe obligarunt ad dictum ieiunium poſt factam profeſſionem: illi autem non adſtringuntur dicta obligatione, cùm obligentur, & adſtringantur tantum ratione præcepti: unde eo modo, quo obligat prçceptum tenentur, illud obſervare, & non alio. Et hæc eſt ratio, quod ſupradicti Religioſi, qui non pervenerunt ad ætatem requiſitam à Sancta Eccleſia, quamvis teneantur ad ieiunium ſuæ Religionis modo, quo illis imponitur, non

tamen

Digitized by Google

tamen tenentur ad præceptum ieiunandi in diebus ab Eccleſia præceptis. Sunt nihilominus valde laude digni illi iuvenes, qui quamvis non obligati ieiunia obſervant, ac ſi tenerentur. Rodriquez *par.* 1. *cap.* 24. Naldus *verbo Religioſus num.* 21. Emanuel Sà *verbo Jeiunium num.* 13. Azor. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 2. & 3. Layman *cap.* 3. *num.* 2. & alii.

Advertendum tamen, quod tempore Iubilæi ſupradicti iuvenes, qui non tenentur ratione præcepti ad ieiunium in vigiliis de præcepto, tenentur tamen ad illud à Summo Pontifice præceptum in Bulla pro aquirendo dicto Iubilæo: dum in illa dicti iuvenes non eximuntur: nam exemptos nominat dicta Bulla; inter autem nominatos non includuntur dicti Iuvenes, de quo dicemus etiam inferius tractando de Indulgentiis. Naldus *num.* 6. Bonac. *num.* 6. & Azor. *lib.* 7. *cap.* 17. *quæſt.* 3.

Sextò, etiam illi eximuntur, qui exercent aliquod opus (qui tamen teneantur illud exercere à neceſſitate coacti, aut ex obligatione: ſive ſit corporis, ſive applicationis mentis) per quod ita debilitetur perſona, quod illi non ſufficiat pro victu neceſſario illius diei unica ſola refectio, ſed plures: quia Eccleſia non obligat cum tanto, quamvis cum aliquo incommodo ad mortificandum corpus. Emanuel Sà *verbo Jeiunium*, Maſtrius *diſp.* 12. *quæſt.* 1. *art.* 3. *num.* 23. & alii. Immò excuſantur prædicti, quando neceſſitentur interrumpere ſuum exercitium, ut ſupra, ratione diei alicujus Feſtivitatis, in qua etiam currat obligatio ieiunii: Excuſantur, inquam, etiam in dicta die à ieiunio; in caſu tamen, quod ita debilitarentur ratione laboris præcedentis diei, quod ieiunando in dicta Feſtivitatis die, ut non poſſent laborare in die ſequenti, & non aliter. Medin. *de Inſtruct. Sacerdotum lib.* 1. *cap.* 24. Azor. *loco cit. quæſt.* 8. Abulen. *quæſt.* 141. Reginald. *num.* 214. Filiucc. *num.* 121. Bonac. *num.* 9. Quamobrem debent in hoc huiuſmodi exempti valde cautelatè procedere, cùm facilis ſit deceptio.

Adverte hìc cum attentione ò Lector, me non ponere hìc in particulari illos laborantes, qui eximuntur à ieiunio, ſive ratione exercitiorum corporis, aut mentis, includendo in hoc exercitio etiam iter, ut faciunt alii: quia ſi omnes convenire tenentur, ſicuti conveniunt in hoc; quod ſcilicet ſi in quolibet genere ſupradictorum laborum cognoſcat aliquis optimè poſſe unire utrumque, hoc eſt laborem, & ieiunium abſque ſuo, nec etiam mediocri incommodo requiſito à magis favorabili ſententia; non eximitur hic talis, neque excuſatur ab obligatione præcepti. Hac de cauſa dico, me in ſupradictis non loqui in particulari: ſed tantùm do dictam regulam generalem:

dum

dum quodlibet particulare aſſignabile ſemper habebit dictam exceptionem.

Adverte etiam, me ſupra dixiſſe, quod dicti labores eſſe debent ex obligatione, & neceſſitate: quia ſi ſint, ſeu habeantur tantùm ad ſolatium, & pro ſibi beneplacito abſque obligatione, aut neceſſitate aliqua, non excuſatur qui illos exercet: Sicuti nec etiam excuſatur, qui poſſit transferre dictos ad aliam diem non ieiunii; quamvis ſint ex obligatione, & neceſſitate.

Septimò, excuſantur tam Maritus, quàm Uxor, ille ratione impotentiæ, & hæc quia à Marito non ſit illi permiſſum iuſtis de cauſis ieiunare. Hoc autem totum eſt, quia Eccleſia non intendit obligare ad ieiunium ad impediendam rem ieiunio meliorem: ut eſt concordia inter maritum. & uxorem, & eo vel magis uſum, aut copulam matrimonialem. Emanuel Sà *num.* 9. Cajet. *de jejunio cap.* 3. Medin. *cap. de jejunio quæſt.* 9. Reginald. *num.* 217. *&* 221. Filiucc. *num.* 119. *&* 124. Leſs. *lib.*4. *cap.*2. Navarr. *cap.* 2. *num.*16. Abulen. *quæſt.*149. Azor. 1. *part. cap.*18. *lib.*7. Tolet. *lib.* 6. *cap.*4. *num.*4. & alii apud Bonacinam *ut ſupra num.* 14.

Octavò illi, qui dubitant, an eximentur nec ne ab obligatione ieiunandi; procurare debent, & obtinere facultatem ab eo, ad quem pertinet non ieiunandi; & meritò, quia non ieiunando cum conſcientia tali peccant mortaliter: quamvis dubitando cum fundamento habitæ experientiæ, ſive cum alio ſimili, nec etiam iſti abſolutè teneantur. Angel. *verbo jejuuium num.*20. Navarr. *cap.*21. *num.*21. Azor. *lib.*7. *cap.*18. *quæſt.* 2. Abulen. *quæſt.*150. Tolet. *cap.* 3. *num.*9. Leſs. *diſput.*3. *uum.* 24. & alii.

Si verò petatur, quinam auctoritatem habeat præbendi facultatem in caſu dubii ſupradicti non ieiunandi, dico cum Bonacina, & aliis Doctoribus ab eodem citatis in tractatu de præceptis Eccleſiæ *diſput. ult. quæſt.*1. *punct. ult. num.*18. quod ſolus Summus Pontifex in tota Chriſtianitate, & Epiſcopi in ſuis Diœceſibus, ut etiam conſtat ex D. Thoma, Cajetano, Aſtaſano, & aliis citatis à Maſtrio *num.*25. Superiores verò Regulares reſpectivè in eorum Religionibus non habent diſpenſandi omnibus Subditis ſuis dictum ieiunium, ſed tantùm declarandi an teneatur nec ne aliquis ex ipſis; & idem poteſt Medicus efficere cum infirmo, Confeſſarius cum pœnitente, aut doctus, & prudens cum ignorante. Et quamvis Epiſcopus poſſit diſpenſare in ieiunio, non poteſt abſolutè illud tollere, quia qui habet auctoritatem diſpenſandi in rebus pertinentibus ad ius commune, ut eſt ieiunium in ordine ad omnes Fideles; non habet per hoc auctoritatem illud tollendi penitus, ſed ſolus Sum-

mus Pontifex . Ita Bonac. *loco ſupra cit.* cum aliis , quamquam Cajetanus *verbo ieiunium cap.* 3. Sylveſter Reginald. Layman , & Nald. putent Epiſcopum poſſe ab uno in alium diem transferre .

In ordine ad tertium de hora refectionis , aut prandii prius advertendum eſt , quod volunt Doctores communiter dictam horam non eſſe de ſubſtantia ieiunii ; ſed tamquam circumſtantia , quæ eſt tantùm res accidentalis . Ex quo infertur ; quod mutatio ipſius horæ non ſit culpa gravis , ſed levis; dum præceptum non reſpicit accidens , ſed ſubſtantiam . Tolet. *lib.* 1. *cap.* 2. *contra Navarrum cap.*21. *num.*27. Covar. *lib.*4.*var. cap.*20. Hoc tamen intelligendum eſt, quando circumſtantia non ſit ita aggravans , ut ſpeciem mutet : quia in illo caſu eſt de ſubſtantia , & non ſimplex accidens: quod non evenit in caſu noſtro ; cum hora ſupradicta non ſit de præcepto , ſed de ſimplici conſuetudine , quæ nec etiam obligat : dum non fuit , ut aliæ ſupradictæ introductæ ad hunc finem obligandi ; ſed tantùm , quia hora conſueta illa eſt : unde ſicuti ſolet ratione extraordinariæ famis,aut laſſitudinis anticipari prandium tempore non ieiunii ; ita remanet dicta conſuetudo tempore ieiunii. Ita Bonac. loco cit.

Hora igitur refectionis in ieiunio eſt hora conſueta prandii;hoc eſt meridies . Unde illud anticipare per quartam , aut tertiam horæ partem , non eſt peccatum ullum : anticipare verò abſque legitima cauſa , exiſtimo cum communiori ſententia eſſe peccatum veniale , non autem mortale : nam ut diximus , non extat de hoc præceptum, ſed tantùm de unica refectione , non aſſignando horam determinatam ; conſuetudo verò non obligat rigorosè ad horam ſupradictam . Sylveſt. *v. jejunium num.*24. Abul. *qu.* 172. Layman. *lib.* 4. *tract.* 8. *cap.* 1. *num.*16. Filucc. *tract.* 27. *cap.* 4. *quæſt.* 3. Leſs. *lib.*4. *cap.*2. *dub.*2. & alii .

Ex dictis infertur primò , quod ſi anticipetur dictum tempus notabiliter , v. g. per horam , aut duas eſt culpa venialis ; poſtponere autem nulla eſt culpa, eo vel magis in primitiva Eccleſia conſuetudo erat in die ieiunii refectionem ſumere de ſero . Vnde eadem Eccleſia in benedictione menſæ , quamvis ſit hora prandii utitur benedictione cœnæ . Navarr. *cap.* 21. & alii apud Bonacinam *diſput.ult.quæſt.*1.*punct.*4. *num.* 1.

Secundò , quod illi , qui obtinuerunt , aut obtinent privilegiũ anticipandi dictam horam refectionis , non remanent per hoc exempti ab obligatione ieiunii , quia diſpenſati , quoad accidens , non remanent diſpenſati quoad ſubſtantiam , quæ eſt refectio, ſeu commeſtio unica . Si verò ſit privilegiũ etiam in ordine ad illam , remanent diſpenſati , & exempti

etiam

etiam quoad ieiunium cum reſervatione tamen ſupradicta, hoc eſt in ordine ad refectionem unicam,non autem in ordine ad qualitatem ciborum carnis, & lacticiniorum; dummodo non ſit privilegium quoad utrumque. Navarr. *cap.* 12. *num.* 22. Reginald. *lib.* 4. *num.* 168. Bonac. & alii, quos ipſe refert *punct.* 1. *num.* 2. & hæc ſint ſatis de Ieiunio.

De aliis numeratis præceptis Sanctę Eccleſiæ occurrunt aliquę difficultates quas breviter reſolvemus.

In ſecundo præcepto de audienda Miſſa in diebus Feſtivis de præcepto ultra id, quod dictum fuit in tertio præcepto Decalogi, occurrit dubium an ſatisfiat præcepto ſi audiatur Miſſa alicuius Sacerdotis ſuſpenſi, aut excommunicati, aut degradati, ſive hæretici, vel concubinarii publici? Ad quod breviter negativè quoad hæreticum, degradatum, excommunicatum, & ſuſpenſum reſpondetur: unde in caſu, quo in aliquo loco non eſſet niſi unicus ex dictis Sacerdotibus, non teneretur populus in illa die Miſſam audire; dummodo dictus Sacerdos non ſit toleratus: quia magis urget præceptum de illo Sacerdote evitando, qui ab Eccleſia non toleratur, quam illud de audienda Miſſa. Quoad Concubinarium publicum verò non eſt certum inter Doctores communiter: multi enim affirmant, ut videre eſt apud Bonacinam *de Sacram. quæſt. ult. punct.* 12. alii verò negant apud Maſtrium *diſp.* 12. *quæſt.* 2. *art.* 1. qui ibidem cum Rodriq. Toleto, Tambur. à S. Stephan. & eodem Bonac. ſupradictum approbat.

In tertio de confitendo ſaltem ſemel in anno movetur dubium: Suppoſito prius quod quilibet baptizatus, cum pervenerit ad uſum rationis perfectæ, in quo ſit capax culpæ, tenetur confiteri, dummodo cognoſcat ſe eſſe in ſtatu culpæ mortalis. Suppoſito, inquam, hoc vero; dubium inſurgit, an præceptum obliget ad confitendum pro aliquo determinato tempore anni? Reſpondetur negativè cum communiori ſententia, quia tàm Concil. Lateran. *cap.* 21. quam Tridentin. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. præcipiunt indeterminatè, ut quilibet baptizatus teneatur confiteri ſaltem ſemel in anno abſque eo, quod determinent tempus determinatum particulare. Unde ratione prædicti Præcepti ſufficit confiteri ſemel in anno. Ita ex dictis Concil. colligunt Suarez, Vaſquez, Henriquez Coninch. Valent. Tolet. Layman. Diana Capſenſis, & alii. Contra Sotum, Medin. Scotum, Azor. & alios nonnullos. Non tamen propter hoc remanet exemptus à dicta obligatione confitendi ex alio capite quoties culpa mortali gravetur, & præcipuè ſumere volens Sāctiſſimam Euchariſtiam. Sicuti ſi non ſit confeſſus in anno præcedenti ex im-



Digitized by Google

impotentia, oblivione, inculpabili tamen, aut alia juſta de cauſa; non per hoc eximitur ab obligatione confitendi in ſubſequenti anno bis, ſemel pro anno præcedenti, & alia vice pro currenti, advertendo, quod prima confeſſio eſt facienda ſtatim ac commoditas erit, ut poſſit dici moraliter anni præcedentis: quia finis præcepti de confitendo ſaltem ſemel in anno, eſt ut non differatur tempus confitendi: unde ex eo quod ſit annus tranſactus, tranſit cum illo obligatio ſupradicta. Ita Navarr. Medina, Henriquez, Valent. Layman. Caſpenſ. Amicus, Bonac. Vaſquez, Aretinus., & alii paſſim contra Dianam, Filucc. Tabienam, Sylveſt. Ledeſm. & alios, quos refert Maſtrius *loco cit. num.* 47.

In caſu verò, quod aliquis non ſe cognoſcat reum culpæ gravis; quamvis non teneatur confiteri: quia Concilium Lateranenſe hoc præcipiens *cap.* 21. dicit, confiteri debent omnia peccata: quod debet intelligi de peccatis mortalibus, tùm quia ſolùm de his abſolutè loquendo, eſt obligatio, tùm quia eſt moraliter impoſſibile confiteri omnia peccata venialia: nihilominùs tenetur ſe præſentare Confeſſario pro recipienda ab illo benedictione; dummodo nolit confiteri venialia ad recipiendum meritum Sacramenti, prout dicit Angelicus Doctor in Supplemento 3. Partis *art.*3. *quæſt.*9. *in reſponſione ad* 3. à me pariter citatus in meo Memoriali Theologico 3. *par. num.* 34. Quod ſi hic talis, qui ſe præſentavit ut ſupra, immò confeſſus ſit de peccatis venialibus, caderet poſt dictam cõfeſſionem in aliquam culpam gravem: tenetur ſub eodem præcepto iterum confiteri: ſi annus non ſit completus: quia præcipiendo Concilium ſupradictum, immò etiam Tridentinum, quod quilibet tenetur confiteri peccata mortalia; per antecedentem confeſſionem non ſatisfecit præcepto, cum eodem anno reus culpæ gravis non confeſſæ inveniatur. Suarez, Vaſquez, Bonac. Reginald. & Brancatus *diſput.*24.*de Sacramento Pœnitentiæ art.* 2. §.4.

Excuſatur nihilominùs, & eximitur à ſupradicta obligatione confeſſionis, qui non poteſt illam facere ſine ſuo gravi periculo vitæ, aut amiſſionis rerum notabilium ratione fracturæ ſigilli, timens fundata probabilitate pœnitens, quod Confeſſarius ſit revelaturus ſuam confeſſionem, à quo probabiliſſimè proveniat illius mors, aut aliud infortunium cum ſuo notabili detrimento, in quo conveniunt Doctores. Excuſat pariter periculum amiſſionis, ſeu læſionis honoris proprii ratione dictæ revelationis, de qua cum fundamento timetur: ſed non eſt ſufficiens motivum excuſationis amiſſio boni conceptus apud ſuum Confeſſarium: dum debet in hoc Sacramento prævalere conceptus virtutis, quem oſtendit

ſtendit Pœnitens confitendo cum extremo dolore, & humilitate culpas, quæcumque illæ ſint, conceptui ſiniſtro, qui provenire poſſit de ipſo Pœnitente apud Confeſſarium per notitiam peccati. Similiter excuſatur, qui non poteſt habere Confeſſarium intelligentem ſuum proprium idioma: dum non tenetur confiteri per interpretem, quia aliter faciendo contraveniret pœnitens Concilio, quod vult illum eſſe ſolum in confeſſione ſuorum peccatorum: quod non eveniret, ſi ille uteretur interprete. Ita deducitur ex Concilio Lateranenſi ſub Innocentio III. *cap.* 21. incip. *Omnis utriuſque ſexus*. Non excuſatur tamen qui propria lingua confiteri non poteſt ratione impedimenti, quod habet in loquendo: cùm poſſit hoc facere per ſcripturam, ſi non poſſit per ſigna. Bonac. *diſput.* 5. *quæſt.* 5. *ſect.* 2. *punct. ult.* & alii.

Quoad quartum Præceptum notandum eſt, quod tam præſens, quàm antecedens non ſolùm ſunt Eccleſiaſtica, hoc eſt Sanctæ Eccleſiæ, verùm etiam divina, hoc eſt à Chriſto Redemptore impoſita: quoniam quoad ſubſtantiam confitendi, & communicandi ſunt divina. Quoad circumſtantiam verò temporis de confitendo ſaltem ſemel in anno, & communicando in Paſchate Reſurrectionis Dominicæ, hoc eſt tempore Paſchali, quod declaratur à Summo Pontifice Eugenio IV. ut refert Navarrus *in Manuali cap.* 25. à Dominica Palmarum uſque ad totam Dominicam in Albis eſt præceptum Eccleſię Sanctæ. Item, Concilium Tridentinum *ſeſs.* 13. *can.* 9. ubi excommunicando contrarium aſſerentes, decrevit, quod quilibet fidelis cùm pervenerit ad ætatem perfecti uſus rationis, quę exiſtimatur communiter à Doctoribus annus decimus quartus, & in aliquibus cognitionis, ſeu luminis naturalis magis perfecti etiam undecimus, & aliquando decimus, (vide Bonacinam *diſp.* 4. *de Sacramento Euchariſtiæ punct.* 2. *num.* 2.) obligetur ad communicandum, itaut cùm pervenerit aliquis ad annum decimum quartum ætatis ſuæ ad ſummum; teneatur præcepto communicandi; quando non teneatur prius cauſa perfectæ cognitionis, aut luminis ſupradicti: ſicuti tenetur confiteri, ſtatim ac habet uſum, quamvis imperfectum rationis, qui ſolet eſſe annus ſeptimus. Ulterius hoc præceptum prout divinum obligat ad communicandum, ſicut antecedens ad confitendum ſaltem in articulo, aut periculo mortis. Vndè ſi aliquis voluntariè nollet recipere ſacram ſynaxim in dicto tempore, peccaret mortaliter. Sotus, Nugnus, & alii contra Cajetanum, Victoriam, Rodriquez, quos citat Bonacina *loco citato num.* 1.

Remanent hìc reſolvendæ aliæ tres difficultates. Prima eſt, an ali-

aliquis non ſumendo Sacram Euchariſtiam tempore Paſchali, teneatur ſumere alio tempore ejuſdem anni? Secunda, an ſumendo dictam Sacram Euchariſtiam fidelis in peccato mortali ſatisfaciat præcepto? Tertia, & ultima, an debeat ſumere dictam Sacram Euchariſtiam dicto tempore Paſchali in Eccleſia Parochiali, aut in alia Eccleſia?

Ad primam reſpondetur affirmativè: quia Concilium Tridentinum dicit, quod fidelis communicet, ſeu Sacram Euchariſtiam ſumat quolibet anno, ſaltem in Paſchate, quamobrem aſſerunt Doctores, quod non communicando in toto anno committat duo peccata mortalia, unum contra prçeptum de communicando ſemel in anno, & aliud de communicando in Paſchate. Card. de Lugo *diſput. 16. de Sacramento Euchariſtiæ ſect.* 4. Viguerius *in Inſtitutione cap.* 16. Pitigianus *diſput.9. quæſt.3. art.9.* Mugnius *quæſt.* 89. *art.* 11. Suarez *diſput.* 70. *ſect.* 2. & alii. Ad ſecundam felix memoria Innocentii XI. reſolvit, & reſpondet negativè contra propoſitionem quinquageſimam quintam damnatam die 2. Martii 1679. juxta reſolutionem Alexandri VII. confutantis propoſitionem quartam decimam ex damnatis die 24. Septembris 1665. reſolvendo, quod non ſatisſit præcepto annuæ Confeſſionis, qui facit illam ſacrilegam. Ad tertiam dico, quod omnes tenentur communicare in Eccleſia propria Parochiali, & ſi velit aliquis communicare pro ſua devotione, non poteſt in aliis Eccleſiis illud facere abſque licentia, & notitia proprii Parochi, ita aſſerentes communiter Doctores deducendo hoc ex verbis Concilii, quod præcipit, non ſolùm communicare in Paſchate, ſed de manu ſui proprii Sacerdotis, hoc eſt Parochi, ut explicant Navarrus *cap.21. num.* 52. Suarez *diſp.* 72. *ſect.2.* Enriquez *lib.* 8. *cap.5. n.2.* & alii apud Bonacinam *de Sacramento Euchariſtiæ diſp.* 4. *quæſt.* 7. *punct.* 2. *num.* 7. Sunt tamen exempti ab hac obligatione Sacerdotes, qui poſſunt celebrare, & cõſequenter communicare ubique; & omnes Laici, qui morantur in locis Regularium ad eorũ ſervitium, qui poſſunt communicare in Eccleſiis eorumdem. Rodriquez *in Summa cap.* 26. *de Communione num.*1. Emanuel Sà *verbo Euchariſtia num.* 21. Enriquez *lib.9. cap.* 23. *num.* 2. *& lib.* 3. *cap.* 8. *num.* 2.

In quinto Præcepto, ubi præcipitur ſolutio decimarum: hoc eſt decima pars fructuum, aut reddituum, ut videre eſt 2. 2. D. Thomæ *quæſt.* 87. quam præcipit Sancta Eccleſia, ut apparet *capite Tua nobis de Decimis*, & in aliis Canonibus, ut ſolvantur Parochis, aut Miniſtris ſpiritualibus propter eorum ſubſtentationem, cùm hoc requirat non ſolùm convenientia, verùm etiam

& de-

Digitized by Google

& debitum, quod dum Populo inſerviunt dicti Miniſtri miniſtrando Sacramenta, & ſerviendo in rebus ſpiritus; cùm non poſſint alio modo ſibi procurare victum; ipſis hoc præbeatur ab illo modo ſupradicto. Diſtinguunt Doctores tres ſpecies Decimarum: videlicèt perſonales, quæ ſunt illius, quod aliquis ſibi procurat per propriam induſtriã: prædiales, quæ ſunt illius, quod provenit à terræ fructibus; & denique mixtæ, quæ ſunt illius, quod habetur ab utroque, Sylveſt. *verbo Doctrina quæſt.* 4. Suarez *libro* 4. *cap.* 34. Tolet. *libro* 6. *cap.* 2.

Pro intelligentia cujus notetur, quod Populus tenetur, ut diximus, præbere neceſſariam ſubſtentationem omnibus illis, qui ſibi miniſtrant Sacramenta, ſive qui habent curam ſuarũ animarum, ſicuti etiam aliis Clericis, & Eccleſiaſticis, qui præbent ad hunc finem auxilium eiſdem, quando iſti ex alia parte non provideantur de neceſſario. Vnde in illis locis, in quibus ſolent ſolvi decimæ ſupradictæ, ſi non ſolvantur, committitur peccatum grave; quamvis notum eſſet illi, qui debet eas ſolvere, quod ille, cui ſolvendæ ſunt, ſit dives, & non illarum egenus: quia decimę non ſolvuntur titulo paupertatis: ſed ratione miniſterii, & laboris in providendo populis de Sacramentis, & aliis rebus ſpiritualibus, ut dixi: quamobrem præcipitur dicta ſolutio decimarum ſub pœna excommunicationis comminatoria, ut conſtat ex Concilio Tridentino *Seſs.* 21. *de Reformat. cap.* 12. & *cap. ſtatuimus* 16. *quæſt.* 2.

### *De Cenſuris Eccleſiaſticis.*

CEnſura eſt pœna Eccleſiaſtica ſpiritualis pro culpa inflicta privans uſu aliquorum ſpiritualium bonorum, prout habetur ex Innocentio Tertio *in cap. Quærenti de verborum ſignificat.* Triplex eſt. Prima dicitur Excommunicatio: Secunda ſuſpenſio: & tertia Interdictum. Additur quarta, quæ dicitur Irregularitas, quæ propriè non eſt cenſura, ſed quædam inhabilitas ad Ordines, & ad Officia Eccleſiaſtica, prout habetur in ipſomet Iure *in cap.* 1. *Statutum de Sententia excommunicationis in* 6. Excommunicatio eſt aliqua cenſura Eccleſiaſtica, quæ privat fidelem communione, & Sanctorum Sacramentorum participatione tantùm. Suarez *diſput.* 7. *ſect.* 1. Navar. *cap.* 27. *num.* 1. Hæc quamvis in ſe non ſit peccatum, ſupponit tamen ſemper peccatum mortale, Maſtrius *diſp.* 13, *quæſt.* 2. *art.* 1. *num.* 33. Duplex eſt. Prima dicitur Major: Secunda Minor. Major eſt illa, quæ privat participatione Sacramentorum tàm paſſivè, quàm activè: hoc eſt adminiſtratione, & receptione dictorum Sacramento-

rum.

Digitized by Google

rum. Minor privat tantùm participatione paſſiva dictorum Sacramentorum: hoc eſt, facit, quod Excommunicatus non poſſit recipere Sacramenta: quamvis poſſit illa adminiſtrare, prout habetur *cap. Statuimus,& cap. Conſtitutionem de ſententia excommunicationis in* 6. & eſt ſententia communis. Privat ſimiliter electione paſſiva: hoc eſt, efficit, quod Excommunicatus non poſſit promoveri ad gradum, dignitatem, aut beneficium Eccleſiaſticum, *cap. ſi celebrat de Cleric. excommunicat.*, & Armilla *verbo excommunicatio* §. 5. In caſu verò, quod Excommunicatus excommunicatione minori eſſet electus. Electio non eſſet nulla; ſed ſi notitia perveniat ad Superiorem, aut Tribunal, ad quod pertinet, annullari debet. Faber, & Blandus, cum Riccardo 4. *diſt.* 18. *art.* 7. Hæc autem contrahitur per participationem cum Excommunicatis publicis excommunicatione majori. Tolet. & alii paſſim.

Excommunicatio major duplex eſt generalis, & particularis: Prima eſt illa, quæ reſpicit generaliter omnes perſonas: particularis illa, quæ reſpicit unum tantùm. Generalis iterum dividitur in duas: hoc eſt in promulgatam à Iure, & in promulgatam ab homine: Prima illa eſt, quæ cõtinetur in aliquo Canone Conciliorum, ſeu in aliqua Conſtitutione, ſeu Statuto: Secunda verò illa, quæ imponitur ab aliquo Iudice, ſive Superiore particulari contra delinquentes in aliquo ſpeciali delicto. Prima ſemper durat; Secunda minimè, ſed eo tempore tantùm, quod durat, ſeu in vita, ſeu in officio Iudex, aut Superior, qui eam promulgavit, iuxtà Gloſſam *in cap. à Nobis de ſententia excommunicationis*. Bonac. *lib.* 1. *cap.* 5. Maſtr. ut ſupra *quæſt.* 1. *art.* 1. *n.* 8. Dividitur etiam excommunicatio major in excommunicationem juſtam, & injuſtam. Prima eſt illa, quæ imponitur ex juſta, & legitima cauſa per ſententiam ſecundùm ordinem requiſitum à legibus facto Proceſſu: Secunda verò illa, quæ datur abſque requiſitis ſupradictis; ſive à Iudice non habente juriſdictionẽ, quæ quamvis non obliget excõmunicatum ad obſervantiam, ſeu in foro conſcientiæ, obſervanda eſt, & æſtimanda tamquam juſta, dummodo ſit publica uſque dum notificetur, non eſſe juſtam: & hoc ad tollendum ſcandalum vulgi, qui exiſtimat, eſſe juſtam, videndo tamen illam vilipenſam. Ultimò dividitur in illam, quæ dicitur latæ ſententiæ, quæ incurritur ſtatim, ac ſit promulgata: & in illam, quæ dicitur ferendæ ſententiæ, quæ non incurritur, niſi poſt datam ſententiam. D. Bonaventura 4. *diſtin.* 18. *part.* 2. *quæſtione* 6. Sylveſter, Suarez, Sayrus, Vgolinus, Bonacin. *de Cenſuris in communi diſput* 1.

*quæſt.*

Digitized by Google

*quæſt.* 5. *num.* 6. Maſtr. loco cit. & alii.

Cauſa, aut motivum excommunicationis eſt peccatum mortale cognitum, rationabiliter ut tale: & eſt, quando excommunicatus cognoſcit, & putat probabiliter, quod illud, per quod fuit excommunicatus, eſt peccatum mortale, immò hoc certò ſcit: quia ſi non ſit verè culpa gravis, non contrahitur excommunicatio. Vnde ſi aliquis ex ignorantia judicaret culpam gravem illam, per quam fuit excommunicatus, & in ſe non ſit culpa gravis, non eſſet excommunicatus; ſicuti ex oppoſito judicando aliquis ignoranter, non eſſe culpam gravem illam, quæ verè eſt talis, eſt excommunicatus: quia nemo ligatur ſua opinione, ut communiter docent Doctores, & è contra. Et quamvis una res in ſe non ſit peccatum, ut ingreſſus in Clauſuras Monialium: nihilominus poſſunt excommunicari illi, qui ingrediuntur in dicta Monaſteria: quia tranſgreſſi ſunt præceptum annexum excommunicationi, quæ ſemper ſupponit dictũ præceptum implicitum, aut tacitum, quamvis non ſit explicitum, aut expreſſum: & conſequenter peccatum grave. Ita Tolet. *lib.*5. *cap.*6.& cum illo ferè omnes Summiſtæ.

Aſſignatur etiam à Doctoribus aliud motivum excommunicationis, quod vocant Cõtumacia 11. quæſt.3. Canon. nullus, quæ conſiſtit in aliqua vera, & formali inobedientia contra auctoritatem Eccleſiæ, aut Superioris contraveniendo præcepto impoſito ſub pœna excommunicationis vide Sotum 4. *diſt.* 22. *quæſt.* 1. *art.* 2. Hoc autem meo videri, non eſt motivum diſtinctum,& diverſum: ſed illa, quæ conſtituit motivum verum, & proprium excommunicationis: ſeu ut clarius loquar, materia proxima excommunicationis: itaque materia remota eſt peccatum grave, & proxima contumacia prædicta: quia ut dicunt Cauſtæ, non ſufficit, ut ſit materia ſufficiens excommunicationis, quod aliqua res ſit peccatũ, quamvis graviſſimum: ſed neceſſe ulterius, eſt quod notum ſit, eſſe prohibitam illam ſub pœna cenſuræ,& hoc non obſtante committatur; quæ eſt formalis inobedientia in illum, qui dictam rem prohibuit ſub cenſura. Tolet. Sotus, & Cajet. *verbo excommunicatio*.

Dicta excommunicatio poteſt eſſe ſolummodo impoſita à Papa in tota Chriſtianitate, ab Epiſcopo in ſua Diœceſi, & tempore Sedis vacantis à Capitulo. Et uno verbo omnes Prælati Eccleſiarum: & Iudices ſive ſint Ordinarii ſive Delegati, qui de jure, aut conſuetudine, aut ex commiſſione habent poteſtatem,& dominium, ſive ſint Sacerdotes, ſive non, dummodo ſint Clerici non uxorati: vide D. Thomam *in* 4. *diſt.*19.*quæſt.*1.*art.*2. Suarez

X *diſt.*

Digitized by Google

*diſt*. 2. *ſect*. 3. *num*. 11. Bonac. *de Cenſuris in communi diſput*. 1. *quæſt*. 1. *punct*. 2. *num*. 5. Eadem excommunicatio poteſt imponi tantùm Chriſti fidelibus viventibus, ſubditis tamen illi, qui eos excommunicat. Itaque non poſſunt excommunicari illi, qui Sacrum Baptiſmum non receperunt cum hoc Sacramentum ſit janua per quam ingreditur quilibet in Eccleſiam, inquam qui non fuit ingreſſus, ſicuti non eſt particeps boni, ita nec etiam mali. Nec etiam ſubjacent huic Cenſuræ Eccleſiaſticæ defuncti; quia non amplius capaces pœnarum vitæ præſentis: declarantur nihilominus aliquando excommunicati, quia ante mortem erant tales, ſed occulti. Vgolinus *Tab*. 1. *cap*. 2. §. 9. Filiucc. *tract*. 55. *cap*. 2. *num*. 40. *& ſequent*. Reginald. *lib*. 9. *num*. 114. Tolet. Bonac. & alii.

Abſolutio ipſius excommunicationis pertinet ad Superiorem, cui eſt reſervata cum ſit à jure, aut ad illum, qui eam impoſuit, ſi ſit ab homine. Vide Toletum *lib*. 1. *cap*. 10. *num*. 5. A minori poteſt abſolvere quilibet Confeſſarius approbatus. Ita Bonacina Tolet. Maſtr. & alii communiter.

Excuſantur ab excommunicatione non ſolùm ſupradicti: verùm etiam alii in ſequentibus caſibus quando ſcilicet excommunicatio continet rem intolerabilem: utpotè ſi præcipiatur per ipſam illud, quod eſt contrarium præcepto, ſive divino, ſive naturali, ſive poſitivo, *ſecundo*, quando imponitur pro re parvi, aut nullius momenti: *tertio*, quando aliquis non poteſt obedire ipſi, ſive ratione impotentiæ, dum nemo tenetur ad impoſſibile *leg. impoſſibilium ff. de Regul. Jur.* aut ſine periculo evidenti mortis, honoris, aut rerum, ita ut ſi adimpleatur hoc, quod illi præcipitur, evaderet miſerrimus. Quamobrem ſi imponatur alicui excommunicatio, niſi reſtituat hoc, vel illud: reſtituendo tamen ille talis remaneret penitus privus neceſſariis ad vivendum: non teneretur ad excommunicationem: ſicuti nec etiam tenet, quando in ipſa præcipitur ablati reſtitutio, ſed ſibi retenti in compenſationem illius, quod illi, quibus fuit ablatum, ipſi debent, numquam autem dederunt. Suarez *diſput*. 3. *ſect*. 7. *num*. 3. Filiucc. *cap*. 3. *quæſtione* 7. Alterius *lib*. 3. *diſput*. 2. *cap*. 1.

*Quarto*, quando præcipitur per eam, ut reveletur aliquid habitum in Confeſſione, aut ſub ſigillo naturali (quando tamen ſecretum obliget juxta ſupradictum ſuo loco) ſeu quando præcipitur, ut reveletur id, quod eſt contra ſe ipſum, contra parentes, ſeu conſanguineos, aut affines uſque ad quartum gradum, Superiores, & Magiſtros ſuos, proprios domeſticos, & alios ſimiles, niſi in caſibus etiam ſupra aſſignatis,

Ita

Digitized by Google

Ita Bonacin.& alii paſſim. Quamobrem bonum erit in ſimilibus caſibus ſemper conſulere Confeſſarios , & viros doctos.

Effectus excommunicationis majoris ſunt. Privatio miniſtrationis, & receptionis Sanctorum Sacramentorum , minoris vero ſolius receptionis eorumdem , ut diximus. Itaque Laicus excommunicatus non poteſt confiteri, aut recipere abſolutionem peccatorum, excepto illo pertinente ad excommunicationem : communicare, conjungi in matrimonium &c. neque Eccleſiaſticus, aut Sacerdos hæc illi miniſtrare; ſi prius non fuit abſolutus ab excommunicatione : quod ſi aliter faciat, peccat toties, quoties illud efficit. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 9. Item excommunicatus, ut ſupra privatur participatione omnium bonorum, & gratiarum, quæ Eccleſia Sancta concedit omnibus fidelibus ex *cap. à nobis* 28. & ex *cap.ſacris* 38.*de ſententia excommunicationis*. Itaque excommunicatus non poteſt neque celebrare Miſſam, neque illi aſſiſtere, nec Divinis Officiis. In caſu autem quod ſit prædictus excommunicatus denunciatus, & publicus, non poteſt celebrari Miſſa, neque recitari Divinum Officium in Choro coram illo. Tolet. *loco cit.* Et in caſu quo Sacerdos celebrans eſſet in Altari, & veniret ad aſſiſtendum ſuæ Miſſæ aliquis ex ſupradictis excommunicatis publicis : ſi venit ante incœptum Canonem debet dictus Sacerdos diſcedere ab Altari: ſi verò poſt incœptum eumdem Canonem debet proſequi uſque ad communionem : qua completa cum purificatione, pergere debet abſque eo quod proſequatur ulterius, ad Sacriſtiam. Bonacin. *diſput.2.quæſt.2.punct.*3.*num.*13. Suarez *diſput.* 22.*ſect.* 1. Henriquez, Reginald. & alii contra Sayrum *lib.* 2. *cap.* 3. Navar. & Alterium. Item privatur exercitio ordinum, jure nominandi, aut quod ſit nominatus ad beneficia, ſepultura in locis ſacris, & denique converſatione civili aliorum fidelium ex *cap. Paſtoralis de Clericis excommunicatis*, & Doctores communiter.

Dantur nihilominus aliqui caſus, in quibus licitum eſt converſari cum excommunicatis. *Primus* eſt, quando ad propriam utilitatem petit creditor ſuum creditum à debitore excommunicato ſive in judicio proſequendo actus judiciarios, ſive extra ipſum : aut ad utilitatem ipſiuſmet excommunicati, cum aliquis videlicet hortatur illum ad pœnitentiam, & ad petendam abſolutionem. *Secundus* eſt ratione matrimonii : cum poſſit licitè uxor converſari cum marito excommunicato, & maritus cum uxore ſimiliter excommunicata, & præcipuè in debito matrimoniali. Tolet. *cap.* 9. *Tertius* ratione ſubjectionis, ut filius cum patre, fratres, cum ſorore, ſimiles. Phenech:

*de Cenſuris Eccleſiaſt. num.* 18. *Quartus* ignorantia: quia uſque dum aliquis neſcit, quod ille talis ſit excommunicatus, poteſt converſari cum illo. Et ultimo neceſſitas: quia cum non poſſit aliquis non converſari cum excommunicato, ut venditor cum emptore; Dominus cum famulo, & Procurator cum Clientulo; non contrahunt hi omnes pœnam aliquam, & conſequenter excommunicationem in converſando cũ excommunicatis, unde poſſunt cum illis ſine ſcrupulo converſari, & tractatus habere, ut volunt, & fusè explicant Doctores omnes paſſim. Sunt alia multa pertinentia ad hanc cenſuram, quæ tractant Doctores: ſed quia non ſunt eſſentialia pro fine hujus brevis mei operis, poterunt videri à curioſis, ſeu cupidis apud Auctores, qui de illis tractant, inter quos eſt Azorius, Suarez, Bonac. Reginald. Maſtr. & alii quàm plures.

Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, per quam ſuſpenditur Clericus pro tempore, quo durat cenſura à ſuo officio, & beneficio: hoc eſt ab uſu, & exercitio ordinis, quem habet, ſi ſit ordinatus: aut à juriſdictione, ſi eſt Iudex, aut Paſtor; aut à quolibet alio officio, ſeu dignitate Eccleſiaſtica. Immò per eamdem ſuſpenſionem privatur pro dicto tempore ſuſpenſus emolumentis temporalibus ſui beneficii. Navarr. *cap.* 27. *num.* 151. Alterius *tom.* 2. *diſput.* 1. *cap.* 1. Avila 3. *part. diſput.* 1. *dub.* 3. Vgolinus *Tab.* 4. *cap.* 10. & alii communiter. Ideo ſuſpenſio poteſt eſſe à jure, ſive ab homine, eodem modo dicto de excommunicatione. *Secundo* poteſt eſſe ab officio, ſive ſit ordinis, ſive juriſdictionis: aut à beneficio, vel ab utroque. *Tertio* poteſt eſſe ab omnibus functionibus officii, aut juriſdictionis, vel tantùm ab aliquibus: & utroque ex his duabus ultimis debet cognoſci tantùm ex verbis prolatis ab eo, qui ſuſpendit. Quare ſi diſtinctè nominat, in quo velit eſſe ſuſpenſio, in illa parte, ſeu ſecundum illud debet intelligi, & non in alia, ſeu ſecundum aliud; ſi verò abſolutè pronuncietur, debet intelligi ille ſupra quem cadit ſuſpenſio, ſuſpenſus in omnibus Silveſt. *verbo ſuſpenſio quæſt.* 1. Reginald. *lib.* 2. *tract.* 3. *num.* 6. *& ſequen.* Filiucc. *tract.* 27. *cap.* 1. *quæſt.* 2. Rodriquez *tom.* 2. *cap.* 79. Tolet. *lib.* 1. *cap.* 12. Bonac. *diſp.* 3. *punct.* 1. *num.* 2. & alii communiter. Cauſa ac motivum ipſius ſuſpenſionis, ſi ſit rei notabilis, debet eſſe culpa gravis: ſi verò rei parvi momenti, poteſt etiam eſſe motivum, peccatum leve. Cajetan. *verbo ſuſpenſio num.* 2. Navarr. *cap.* 27. *num.* 159. & Tolet. *cap.* 13. Qui non æſtimat ſuſpenſionem, illam tranſgrediendo ultra peccatum grave tranſgreſſionis ipſius, incurrit in irregularitatem *cap. cum ęterni de ſent. & re judicata in* 6. & Doctores paſſim.

In-

Interdictum eſt aliqua prohibitio facta determinato loco Eccleſiæ, aut perſonæ de non adminiſtrandis Sacramentis, aut de non celebrandis Divinis Officiis; aut de exercitio, & exequutione aliquarum rerum ſpiritualium ex *cap. non eſt nobis de Sponſalibus.* Triplex eſt: tantùm locale, tantùm perſonale: & locale ac perſonale ſimul. Sylveſt. *verbo interdictum* 1. *quæſt.* 2. *Primum* eſt quando interdicitur una Provincia, Civitas, Terra, Eccleſia, aut alius ſimilis locus. *Secundum*, quando interdicitur populus, Collegium, Clerus &c. *Tertium*, quando interdicitur locus cum perſonis ipſius. Quodlibet trium nominatorum dividitur in generale, & ſpeciale. Generale illud eſt, quod interdicit totum v. g. totum locum, ſi eſt locale, aut omnes perſonas ſi eſt perſonale. Particulare aut ſpeciale eſt illud, quod interdicit tantùm aliquas partes loci, v. g. aliquam Civitatem unius Provinciæ, aut aliquam Eccleſiam alicujus Civitatis, & ſimilia, ſi eſt locale: ſive aliquas perſonas particulares populi, aut Cleri, quando eſt perſonale. Advertunt tamen Doctores, quod interdicto populo non intelligitur interdictus Clerus, ſicuti nec etiam illi, qui non ſunt ibi fixi, & permanentes, ſi non ſit expreſſum: ſicuti interdicto Clero non intelligitur interdictus populus, neque Religioſi, qui non includuntur ſub nomine Cleri in rebus odioſis. Coninchius *diſput.* 17. *num.* 8. Suarez *diſput.* 23. *ſect.* 2. *num.* 14. Avila 5. *part. diſput.* 1. *dub.* 4. Bonacin. *diſput.* 5. *punct.* 1. Alterius *diſput.* 1. *cap.* 5. *dub.* 5. Vgolinus *Tab.* 5. §. 5. *num.* 3. Clerici ordinati in ſacris tranſgrediēdo interdictum ultra culpam gravem, incurrunt in irregularitatem, à qua tantùm à Papa abſolvi poſſunt ex *cap. is cui ſe ſentent. excommunicat. in 6.* Clerici verò ordinati in minoribus, per dictam tranſgreſſionem non incurrunt in irregularitatem, quamvis peccent graviter, ſicuti etiam peccant Laici. Sylveſt. *verbo interdictum* 5. §. 6. & Sotus *diſt.* 22. *quæſt.* 3. *art.* 1.

Idem interdictum ut diximus antea, aut prohibet illi, ſupra quem cadit, adminiſtrationem, aut receptionem aliquorum Sacramentorum, & celebrationem divinorum officiorum tàm activam, quàm paſſivam: hoc eſt quod nec poſſint celebrari Miſſæ, neque publicè cani officium, neque interdictus poſſit iſtis aſſiſtere. In caſu igitur quod ſit interdictus populus integer alicujus loci, non autem Clerus; poſſunt celebrari Miſſæ in dicto loco, & recitari divina officia portis clauſis Eccleſiæ ſine Campanarum ſono, quæ tantum pulſari poſſunt pro ſigno Ave Maria, pro prædicatione, & pro Defuncto: & excluſis, & foras ab Eccleſia dum dicuntur Miſſæ, interdictis, & voce ſubmiſſa. Permittitur nihilominus, quod

quod in principalibus Feſtis Nativitatis Dñi Noſtri Jeſu Chriſti, Reſurrectionis ejuſdem, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis, & in Feſtivitate Corporis Chriſti divina officia poſſint ſolemniter cani admiſſis interdictis, quæ privilegia fuerunt conceſſa partim à Bonifacio *cap. Alma Mater*, & partim videlicet de Feſtivitate Corporis Chriſti à Martino V. & Eugenio IV. Admiſſis, inquam, interdictis; dummodo illi, qui fuerunt motivum interdicti (cum poſſit dicta cenſura imponi aliquibus ob cauſam aliorum Concivium) non approximentur Altari, ubi celebratur, & non accedant ad offertorium, & ad Communionem. Maſtr. *diſput.13.quæſt.4. art.2.num.*115. Paſtores, aut Sacerdotes, ad quos pertinet adminiſtratio Sacramentorum, ſi interdicti ſint, non poſſunt alia Sacramenta adminiſtrare, quàm Baptiſmum, Confirmationem, & pœnitentiam *cap. Quoniam, & cap. Alma Mater de ſentent. excommunicat. in* 6. quæ permittuntur adminiſtrari ab illis tantùm, qui non fuerunt cauſa, & motivum interdicti, neque delicto, neque conſilio, auxilio, aut favore delinquenti præſtito. Poteſt tamen ſemper ferri Sanctiſſimum Viaticum infirmis cum luminibus, & ſono Campanarum, & eis ſubminiſtrari dictum Sanctiſſimum Viaticum ex *cap. Quod in te de pœnitentia, & remiſſione*, & ex *cap. Permittimus de ſent. excomm.* Prohibetur etiam per interdictum participatio ſepulturæ in loco ſacro, etiam in ordine ad pueros uſu rationis privos, & mente captos, ut patet ex *cap. citato quod in te*. Vide Suarem, Navarrum, & Caſpenſem. Hæc cenſura poteſt remitti ante præfixum terminum aut ab illo, qui eam impoſuit, aut à quolibet Epiſcopo, quando non ſit reſervata, ſi verò reſervata ſit, ab illo, ad quem eſt reſervata. Ita communiter.

Irregularitas eſt aliquod impedimentum canonicum, quod impedit ordinari, & uſum receptorum ordinum. Suarez *tom.*5. *diſput.* 40. *ſect.* 1. Avila 7. *part. diſput.*5. *dub.*1. Sayrus *lib.6.cap.* 1. Quamobrem, ut diximus, non eſt propriè cenſura, ſed potius quædam inhabilitas. Unde quando imponitur, non eſt in rigore impoſita; ſed quædam declaratio, quod aliquis in illam incurrerit: dum inhabilitas non imponitur, ſed declaratur, ut patet Bonac. *de Irregularitate quæſt.* 1. *punct.* 1. Duplex eſt, prima dicitur irregularitas ex delicto, ſecunda ex defectu. Ita communiter. Dividitur etiam in totalem, & partialem. *Prima* privat quolibet ordine ſacro, & uſu, & exercitio illorum omnium: *Secunda*, reddit inhabilem tantùm ad aliquod ex illis, aut ad uſum, & exercitium alicujus. Sit exemplum primæ Homicidium, quod reddit inhabilem ad omnes: & ſecundæ,

Digitized by Google

cundæ, privatio oculi ſiniſtri in Sacerdote, quæ ſupervenerit illi per accidens, poſtquam fuit ordinatus, quę privatio illum inhabilitat, & reddit irregularem tantùm ad celebrandam Miſſam, non autem ad audiendas confeſſiones: eadem verò privatio, quæ ſupervenit modo ſupradicto, impedit ſuſceptionem Sacerdotii. Vide Maſtrium *diſput.* 13. *quæſt.* 5. *art.* 1. *num.* 130.

Irregularitas ex delicto illa eſt, quæ contrahitur per aliquam culpam gravem: v.g. quia aliquis eſt publicus, & notorius infamis, vel quia reiteravit Baptiſmum, cùm bis eumdem baptizaverit abſque legitima cauſa. Bonac. *loco cit. diſp.* 7. *quæſt.* 1. *punct.* 1. *num.* 6. & Tolet. *lib.* 1. *cap.* 28. Sive quia recepit, aut exercuit officium Ordinum, cùm fuerit ſuſpenſus, aut excommunicatus: ſive quia eſt Hæreticus, aut Apoſtata: ſive quia occidit aliquem, aut mutilavit aliquod membrum ipſius, aut illius acceleravit mortem. In caſu tamen quod occiſio non ſit pro juſta defenſione occiſoris. Immò etiamſi aliquis ſe exponat cum plena advertentia periculo cauſandi mortem alicui, ſecuta poſtea illa ex ſua voluntaria negligentia, cùm non adhibuerit omnem debitam diligentiam (ex quo provenit in hoc caſu irregularitas) ad evitandam mortem, ut colligitur ex *Clem.* 2. *de Homicidio*, & 5. *de Homicidio*. Cajet. 2. 2. *quæſt.* 40. Navarr. *cap.* 27. *num.* 217. Tolet. *cap.* 19. & alii.

Irregularitas ex defectu eſt illa, quæ contrahitur non ratione peccati, ſed ex defectu alicujus rei notabilis in intellectu: ut eſt ſtultitia, aut ignorantia maxima: ſive in corpore: ut v. g. ſi corpus eſſet notabiliter deforme abſque naſo, ſeu abſque oculo, præcipuè ſiniſtro, abſque crure, aut manu, aut eſſet infirmus lepra, aut morbo caduco, & ſimilibus *cap. de tua*, & Tolet. *cap.* 25. Contrahitur etiam hæc, quia aliquis eſt illegitimus: ſeu quia non habet ætatem præfixam à Canonibus ad Ordines ſacros ſuſcipiendos: vel quia eſt bigamus, hoc eſt quia pluries fuit uxoratus &c. ut habetur ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Sunt etiam alia, à quibus provenit hujuſmodi irregularitas, quæ poſſunt videri in Auctoribus de hac materia tractantibus.

Ab omnibus ſupradictis irregularitatibus ordinariè loquendo, ſolus Papa diſpenſare poteſt: quamvis ab illis, quæ ſunt ex delicto occulto poſſit etiam Epiſcopus diſpenſare, excepto homicidio voluntario, ut habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 24. *cap.* 6.

De

Digitized by Google

*De Caſibus Reſervatis.*

CAſus reſervatus idem eſt, ac peccatum mortale, abſolutionem cujus ob ſui gravitatem, & ſcandalum Papa, Epiſcopus, aut alius Paſtor, etiam Regularis ſibimetipſi reſervat, aut aliis Confeſſariis ſpecialibus ab ipſo ad hoc particulare delegatis. Ita Doctores communiter. Ut ſit peccatum reſervatum non ſufficit, quod ſimpliciter ſit peccatum grave, ſed requiruntur aliæ duæ conditiones. Prima, quod actus peccaminoſus ſit externus,& conſummatus, non internus intentionis, aut imperfectus: Secunda, quod ſint peccata ex gravioribus, & nullo modo venialia: quia cùm non teneatur aliquis hæc confiteri, nec etiam debent reſervari: ignorantia verò, quod ſint reſervata non excuſat à reſervatione. Suarez *diſp.*29.*ſect.*3.*num.*3. Coninchius *diſput.* 11. *num.* 79. Bonacin. *de Sacramento Pœnitentiæ diſput.* 5. *quæſt.* 7. *punct.* 5. §. 1. Homobonus *part.* 1. *cap.* 3. *aſs.* 1. Filucc. *tract.* 7. *cap.* 10. *quæſt.* 2. *num.*271. *& ſeq.* Miranda *in Manuali Prælatorum tom.* 2. *quæſt.* 24. *art.* 4. contra Vaſquem, & Reginaldum. Quæ reſervantur Papæ multa ſunt, quæ habent annexam excommunicationem. Reſervata Epiſcopis, ut plurimum in Italia inveniuntur ſex: videlicèt, Blaſphemia publica, Homicidium voluntarium, Inceſtus, Sodomia, Beſtialitas, & manducare carnes, & ova in diebus prohibitis. Prælati verò, & Superiores Religionum non poſſunt reſervare niſi undecim caſus ex decreto Clementis VIII. dato ſub die 26. Maii 1594. Hæc autem ſunt Apoſtaſia à Religione etiam habitu retento, furtiva è Conventu egreſſio nocturna, Veneficia, Incantationes, Sortilegia, Proprietas in materia ſufficienti ad culpam gravem, furtum rerum Monaſterii, quod conſtituat peccatum mortale, lapſus carnis operę conſummatus, juramentum falſum, factum in judicio legitimo, procuratio abortus ſive opere, ſive auxilio, ſive conſilio fœtus animati, quamvis effectu non ſecuto, occiſio, vulnus, aut percuſſio gravis cujuſcumque perſonæ, falſificatio caracteris, aut ſigilli Officialium Monaſterii, aut Conventus, & aperitio literarum, ſive à Superioribus Subditis, ſive à Subditis Superioribus miſſarum, ſicuti etiam impeditio, aut retardatio malitioſa. Hi omnes caſus in mea Religione Superioribus ejuſdem reſpectivè ſunt reſervata, prout habetur 5. *part. Conſtitutionum cap.* 3. *num.* 8.

A ſupradictis, & aliis ſimilibus reſervatis, quantumcumque rigoroſa ſit reſervatio, abſolvi poſſunt in articulo, ſeu periculo mortis conſtituti, ſive ratione infirmitatis, ſive cujuslibet accidentis ſine illa, non ſolùm à quolibet Confeſſario, ſed à quocum-

que

Digitized by Google

que ſimplici Sacerdote, etiam non approbato, qui poſſunt abſolvere præfatos non ſolùm à dictis caſibus reſervatis; verùm & à qualibet cenſura. Trident. *ſeſs.* 14. *cap.* 7. Sicuti etiam ab eiſdem poteſt abſolvi à Confeſſario non habente auctoritatem, qui eſt in actu communicandi, ſive communioni proximus, quam differre non poteſt ſine gravi ſcandalo circumſtantium; & magna ſit difficultas accedendi ad Prælatum, cui reſervata ſunt pro auctoritate ſuſcipienda. In quo caſu abſolvendus eſt cum conditione, & onere ſe præſentandi iterum, ſi commoditas aderit, Confeſſario facultatem habenti. Coninch. *diſput.* 8. *num.* 13. Suarez *diſput.* 31. *ſect.* 3. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 11. *punct.* 1. Reginald. Bonac. Filucc. & alii contra Vaſquem *quæſtione* 91. *num.* 3. *dub.* 8. *num.* 5. In ordine ad primum; hoc eſt quo ad articnlum mortis ſciẽdum eſt, quod pœnitens extra periculum mortis poſitus non tenetur iterum ſe præſentare facultatem habenti abſolvendi à dictis reſervatis: quamvis teneatur ratione cenſurarum. Unde ſi aliquis non ſe præſentat in prima occaſione, ut iterum abſolvatur per voluntariam, & conſequenter culpabilem negligentiam, volunt Auctores ſtatim citandi, quod reincidat non in eamdem, à qua fuit abſolutus, ſed in aliam ſimilem cenſuram ob inobedientiam Canoni præſtitam, qui hoc præcipit: Neceſſe tamen eſt, quod dicta negligentia comitetur à contemptu, ut ſupra diximus. Navarr. Palud. Sylveſter, Angelus, Suarez, Faber, Averſa, & alii. Quoad ſecundum, ultra ſupradicta advertendum eſt, quod ſi caſus ſit Papæ reſervatus, ſi non poſſit ad illum ire, debet ſe præſentare ſuo Epiſcopo; quod ſi non poſſit neque ad hunc accedere, ſuo Parocho: ſi autem, neque ad illum, cuicumque ſe præſentare poteſt: ut deſumitur ex declaratione Excommun. Si quis ſuadente, & habetur *cap. de cætero de ſentent. excommun.*

## Varia Dubia ſelecta, & breviter reſoluta.

### *De Indulgentiis.*

QUæres primò. Quid ſit Indulgentia?

Reſpondetur, eſt Remiſſio, ſeu relaxatio pœnæ temporalis, debitæ propter peccata actualia jam dimiſſa, extra Sacramẽtum per applicationem à Prælato factam de Theſauro Eccleſiæ. Ita Sot. *in* 4. *diſt.* 21. *quæſt.* 1. *art.* 2. Cordu. *de Indulgen. quæſt.* 1. Valent. *tom.* 4. *diſput.* 7. *quæſt.* 20. *punct.* 1. Hieron. Grat. *iu tract. de Indulg. part.* 1. *cap.* 4. Lex. *in Sum. Quæſt. Regul. tom.* 2. *verb. Indulgentia quoad Regul.* Ex qua definitione patet, quod pœ-



Digitized by Google

pœna temporalis, quæ remanet ſolvenda in alia vita, etiamſi remiſſa ſit culpa, condonatur per Indulgentiam conceſſam à Pontifice, ſeu alio Prælato habente auctoritatem, de theſauro Eccleſiæ ideſt ex meritis Chriſti Domini, & Sanctorum.

Quæres 2. Quotuplex ſit Indulgentia?

Reſpondetur Duplex: una dicitur plenaria ſeu totalis, alia non plenaria, ſeu partialis. Prima eſt, per quam remittitur tota pœna; ſecunda verò, per quam pars tantum pœnæ alterius vitæ, ſeu Purgatorii condonatur. Ubi adverte, quod non dicitur Indulgentia plenaria, quia per illam remittitur culpa, & pœna, quia culpa ſolùm remittitur per Sacramentum pœnitentiæ: & quamvis de aliquibus Indulgentiis à culpa, & à pœna fiat mentio in Clement. 1. *de Privileg.* ſic vocantur quia ſimul cum illis aliquando conceditur facultas Confeſſariis abſolvendi à Caſibus reſervatis, & à Cenſuris, ac diſpenſandi in votis &c. non verò quia per illas remittatur culpa nec mortalis, nec venialis, quæ ſolùm per Sacramentum pœnitentiæ remittitur, ut dixi in meo Memoriali Theologico loquendo de dicto Sacramento, ſed tantùm pœna, ut dixi.

Quæres 3. Utrum detur poteſtas in Eccleſia concedendi Indulgentias præfatas?

Reſpondetur affirmativè contra Valdenſes, quos ſequuntur Vuicleph. & Joann. Hus, ac Hieronym. de Praga, prout habetur in Concil. Conſtantien. *ſeſs.* 18. cum his etiam concord. Lnth. *tract. de Indulgent. quæſt.*3. Quæ aſſertio eſt de fide definita à Concil. Trident. *ſeſs.*21.*cap.*9. *& ſeſs.* 25. *in Decreto de Indulgentiis*. Et colligitur ex Matth. *cap.* 16. ubi Chriſtus Dominus dedit poteſtatem Petro Pontificiam illis verbis, *& tibi dabo claves Regni Cælorum &c.* per quæ non ſolùm conceſſa fuit illi, & Succeſſoribus ejus auctoritas, ſeu poteſtas ſolvendi à culpa per Sacramenta: ſed etiam remittendi pœnas temporales debitas peccatis dimiſſis, & venialibus extra Sacramentum, prout aliqualiter impeditiva tranſmiſſionis ad Regnum Cœlorum cujus impedimenti, ſeu ligaminis ſolutionem tribuit Chriſtus Dominus Petro, & aliis ſuis Vicariis ſic explicant Innocentius Quintus 4. *diſt.* 20. *quæſt.* 3. *art.* 1. & alii, quos citat Paſſer. *tract. de Indulgent. quæſt.* 3.

Quæres 4. An per Indulgentias remittantur pœnæ, ſeu ſatiſfactio injuncta à Confeſſario in Confeſſione?

Reſpondetur affirmativè, prout communiter aſſerunt Canoniſtæ cum Theologis, ut ait Paſſer. *ibi ſupra quæſt.*8.qui citat quamplurimos Doctores in hac ſententia convenientes, & ratio eſt: quia ut bene ibi ait Paſſer. §. 97. *Indulgentia eſt judicialis quædam*

*dam abſolutio à pœna, quæ ex conſequenti claudit relaxationem pœnæ, & obligationem implendi pœnitentiam injunctam factam directè ex vi poteſtatis abſolutoriæ, quam habet concedens Indulgentias*. Ex quo ſequitur, quod qui lucrari Indulgentiam intendit, ſit liber ab obligatione præcepti implendi pœnitentiam iu Confeſſione impoſitam; quamvis etiam illam adimplere ſalubrius ſit pœnitenti, & magis meritorium.

Quæres 5. Quinam ſint capaces recipiendi Indulgentias?

Reſpondetur, ſolùm homines hujus vitæ, qui dicuntur Viatores, ſunt capaces Indulgentiæ, ita communiter omnes; quia ut ait doctiſſimè Paſſer. *quæſt*, 15. Indulgentia, ut diximus, eſt remiſſio pœnæ temporalis debitæ poſt culpam condonatam: ergo qui ſunt capaces commiſſionis culpæ, & conſequenter remiſſionis ejuſdem, ſunt tantùm capaces recipiendi Indulgentias: atqui ſolùm homines viatores ſunt capaces committendi culpam, & remiſſionis illius, non autem Beati, aut damnati: ergo &c.

Hìc adverte, quod ad animas in Purgatorio exiſtentes etiam extenditur Indulgentia eo modo explicando inferius, quamvis hujus vitæ non ſint: quia etſi culpæ non ſint capaces; ſunt tamen condonationis pœnæ debitæ remiſſis culpis capaces: quod ſufficit ad hoc, ut ſint capaces Indulgentiæ.

Quæres 6. An ad obtinendam Indulgentiam, quæ eſt alicui loco affixa, Eccleſiæ v.g. ſeu Cappellæ, vel Oratorio; ſufficiat ingredi locum ipſum tantùm, vel aliquid in illo operari?

Reſpondetur affirmativè: nam vel in forma Indulgentiæ exprimitur, & imponitur opus faciendum v.g. aliqua oratio; vel non: ſi primum, non eſt dubium, quod non ſufficit ingredi tantùm locum, ſed ulterius recitanda eſt dicta oratio; cùm illa ſit conditio ſine qua non obtinetur Indulgentia. Vel in dicta forma ſolùm ponitur viſitatio loci; & in hoc caſu, cum intelligatur non quicumque ingreſſus, ſeu viſitatio ex quocumque motivo ſit; ſcilicet ex motivo curioſitatis, vel defenſionis à pluvia: ſed ingreſſus, & viſitatio ex motivo ſupernaturali, videlicet Religionis, debet ingreſſus cõjungi cum aliquo opere concernente præfatum cultum, nimirum oratione. Ita Paſſer. ibi ſupra *quæſt*. 16. qui citat Extravagan. Unigenitus *de Pœnit. & remiſſ*. Suarem *tom*. 4. *diſput*. 52. *ſect*. 1. *num*. 3. Palaum *tract*. 34. *part*. 3. *num*. 15. & alios.

Quæres 7. An Indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam, & in ea orantibus, lucrentur etiam illi, qui Eccleſiam ingredi non poſſunt?

Reſpondetur cum diſtinctione: nam ſi per conceſſionem requiritur expreſsè actio aliqua, quæ poteſt haberi tantùm in Eccleſia, cui

cui conceſſa eſt Indulgentia v. g. celebratio Miſſæ in aliquo illius Altari, vel aliqua alia ſimilis, quæ indicet voluntatem concedentis claram de ingreſſu in illam; tunc Indulgentia ſolùm intelligitur conceſſa ingredientibus. Si verò non exprimatur hoc, ſed ſimpliciter, & abſolutè conceditur Eccleſiam viſitantibus: tunc, cum poſſit intelligi tam de ingreſſu phyſico, ſeu corporeo, quàm de morali, hoc eſt de ingreſſu judicio prudentis viri tamquam phyſico exiſtimato, conſequitur, & lucratur Indulgentiam, & ille, qui ingreditur corporeè, ac etiam qui cum non poſſit hoc modo ingredi, vel quia Eccleſia eſt clauſa, vel quia multitudine populi tota Eccleſia eſt occupata, & incapax recipiendi alios præter eos, qui in ea morantur, ingreditur voto, ſeu deſiderio: & ſic ante portam orando fit cum corporeè ingredientibus particeps dictæ Indulgentiæ. Ita Armilla *verbo Indulg. num.* 59. Suarez *diſp.* 52. *ſect.* 1. *num.* 7. Diana *par.* 1. *tom.* 11. *reſol.* 103. Layman. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 4. Leander *tract.* 5. *diſp.* 14. *quæſt.* 67. & alii apud Paſſerinum ibi ſupra *quæſt.* 17.

Quid verò dicendum ſit, ſi Indulgentia conceſſa ſit, Altaribus omnibus, vel alicui Eccleſię, & non tantùm Eccleſiam viſitantibus, varii ſunt Doctores in hoc decidendo, alii affirmant, alii verò negant: alii verò media via incedentes dicunt, quod ſi facile à foris videri poſſint Altaria viſitanda, & impoſſibilis ſit Eccleſiæ ingreſſus, ut diximus, ſufficit extra Eccleſiam cultum debitum ipſis Altaribus præſtare, ſeu orare, ut quis Indulgentiam lucretur. Ita Boſs. *de Iubil. caſu* 14. *num.* 14. Leander *tract.* 5. *diſput.* 14. *quæſt.* 68. quibus me libenter ſubſcribo.

Quæres 8. An diruta Eccleſia ceſſent privilegia illi conceſſa?

Reſpondetur cum diſtinctione ſic (ſuppoſito tamen quod Eccleſia ſit in totum diruta, & non ſecundùm partem; quia ſecundùm partem dirutam conveniunt omnes, non ammittere Indulgentias, cum in hoc caſu eadem remaneat Eccleſia) vel Eccleſia deſtruitur juſſu Prælati, ut non reedificetur amplius in pœnam alicujus patrati delicti: vel deſtruitur, ut iterum in eodem loco reedificetur. In primo caſu amittere Indulgentias, & privilegia omnia; non autem in ſecundo caſu, in quo ſolùm remanent tantùm ſuſpenſa uſque ad novam reedificationem; docent communiter Canoniſtæ, ut ait Paſſer. *quæſt.* 18. qui idem aſſerit in caſu translationis ejuſdem Eccleſiæ ad alium ſitum cum jiſdem Canoniſtis ab eo ibidem citatis.

Quæres 9. An Indulgentia conceſſa alicui loco determinato ſe extendat ad Clericos, & Religioſos illius, & ad Advenas?

Reſpondetur affirmativè: quia etiamſi Religioſi, & Clerici non veniant ſub nomine Populi, cui Indul-

Digitized by Google

Indulgentia conceditur, in odioſis; veniunt tamen in favorabilibus, & ſic quamvis interdicto populo non intelligatur interdictus Clerus, niſi hoc exprimatur; cẽſetur tamen privilegiatus idem Clerus in omnibus, quæ conducunt in favorem, & utilitatem ejuſdem: quare tam Clerici, quàm Religioſi non remanent ab Indulgentiis immunes. Sic Paſſer. cum D. Thoma 4. *diſt*. 20. *quæſt*. 1. *art*. 1. & aliis innumeris ab illo pro hac ſententia allatis.

Quæres 10. An Excommunicatus gaudeat Indulgentiis?

Reſpondetur cum Paſſarino *quæſt*. 23. & aliis ab ipſo relatis negativè, quamvis contriti ſint de peccato, propter quod fuit impoſita excommunicatio: quia etiamſi in hoc caſu ſupponatur eſſe in gratia, cum non ſit ab excommunicatione abſolutus, ut ſuppono, remanet bonorum Eccleſiæ privatus, inter quæ præcipuum eſt Indulgentia, cum ſit bonum internum.

Quæres 11. An ad lucrandam Indulgentiam ſit neceſſaria Confeſſio præcedens?

Reſpondetur eſſe neceſſariam, ſi injungatnr expreſsè in conceſſione Indulgentiæ; ſi verò non injungatur ita eſſe ſolum neceſſarium in caſu, quo Indulgentiam ſuſcepturus non ſit in gratia, ſed in peccato mortali; Indulgentia quippe non acquiritur ab inimico Dei, & injuſto, ſed ab amico, & juſto. In caſu verò quo ſit neceſſaria confeſſio, ſufficit quælibet quocumque modo facta; dummodo ſit valida. Ita Paſſarinus *quæſt*. 27. cum Sylveſt. *verbo Indulgentia num*. 26. Boſs. *ſect*. 4. *de Jubil. caſu* 19. §. 1. *num*. 4. *&* 5. Paſq. *quæſt*. 71. *num*. 1. & alii apud eumdem Paſſarinum. Ego tamen cum quamplurimis Authoribus ſemper conſulerem lucraturos Indulgentias confiteri, ut ſecurius illas conſequantur.

Quæres 12. Utrum lucraturus Indulgentiam poſſit per alium implere opus injunctum?

Reſpondetur negativè cum communi Doctorum ſententia, & ratio eſt clara, quia opus injunctum eſt onus perſonale, & conſequenter perſonaliter injungitur adimplendum: unde in conceſſione exprimitur. Qui jejunaverint, qui Eccleſias viſitaverint &c. ut intelligatur, quod voluntas concedentis eſt, non per alium, ſed per ipſummet lucraturum Indulgentiam opera injuncta eſſe exequenda. Paſſar. *quæſtione* 332.

Quod ſi detur caſus, quod ſit alicui impoſſibilis dicta executio; tunc ſi non adſit expreſſa in conceſſione authoritas Confeſſariis, vel alteri delegata commutandi opera impoſſibilia in alia, quæ adimpleri poſſint, per quam commutetur opus injunctum impoſſibile in aliud poſſibile; numquam lucrari intendens Indulgentiam, illam conſequetur ex defectu conditio-

ditionis neceſſariò requiſitæ à concedente. Ita Paſſ. & alii ab ipſo citati *quæſt.* 33.

Quæres 13. Utrum per jejunium, ſeu per opera aliàs debita poſſit quis etiam titulo operis injuncti lucrari Indulgentiam?

Reſpondetur negativè ſimplicitèr, & abſolutè loquendo: quia quæ debentur titulo Iuſtitiæ alteri, non poſſunt novo titulo deberi aliis: totus enim actus abſorbetur per unicam ſatisfactionem, & ſic non remanet locus pro alia diſtincta ſatisfactione. Quarè ſi jejunandum eſt ex præcepto Eccleſiæ; cum iſte actus juſtitiæ debitus ipſi Eccleſiæ, non poſſum illud jejunium applicare concedenti Indulgentiam, cum onere jejunandi: niſi ipſe concedens Indulgentiam indicet ſe ſimilibus actibus ſatisfactum; prout evenit in Iubilæo, in quo aliquando Pontifex aſſignat pro illo acquirendo hebdomadam aliquam, in qua vel eſt jejunium Quadrageſimæ, vel quatuor temporum: & idem, quod, dicitur de jejunio, dicendum eſt de aliis operibus injunctis. Ita Paſs. *quæſt.* 41. contrà Rodriquez, Layman. & alios, cui ipſe etiam adhæreo.

Quæres 14. An per idem opus injunctum poſſit quis lucrari plures diſtinctas Indulgentias?

Reſpondetur cum communiori ſententia negativè. Sequitur ex probatis in antecedenti proxima reſponſione. Si enim prima Indulgentia, cui debebatur illud opus injunctum, jejunium v.g. ſeu eleemoſyna, ſibi proprium adequatiſſimè fuit; non erit locus pro alia ſequenti, & conſequenter non acquiritur ſecundo, quia non adimpletur conditio requiſita, ſicuti per unam ſatisfactionem Sacramentalem, ſeu pœnitentiam nequit pœnitens ſatisfacere pro duplici confeſſione, ſi Confeſſarius novam imponit pro nova Confeſſione. Unde ſicuti, ſi Confeſſarius velit per unicam pœnitentiam ſatisfieri duplici confeſſioni, pœnitens per unicam ſatiſfacit utrique; ita ſi concedens Indulgētiam intendat idem opus injunctum valere pro duplici Indulgentia, valebit; aliàs nullo modo. Ita Paſs. *quæſt.* 42. cum Suarez *diſput.* 52. *ſect.* 10. *num.* 9. Gabr. 4. *diſt.* 45. *quæſt.* 3. *art.* 2. Bonacin. & aliis. Quamobrem ſi eadem die ſint plures Indulgentię in diverſis Eccleſiis unica ſufficit communio, & unicum jejunium: quia eadem die non poſſunt hæc multiplicari: quare in hoc caſu ita velle concedentem interpretatur: videlicet quod per unicum indiviſibile opus plures acquirantur Indulgentiæ, ut ait ibidem Paſſerinus.

Quæres 15. An in caſu, quo inter opera injuncta ſit Communio, quælibet ſufficiet ad acquirendam Indulgentiam?

Reſpondetur in primis, quod non ſufficiat ſpiritualis, de qua ſit mentio in Concilio Trident. *ſeſs.* 13. *cap.* 8. ſed requiratur neceſſa-

Digitized by Google

ceſſario Sacramentalis, niſi aliter exprimatur in conceſſione; patet; quia ut habet Paſſer. *quæſt*. 43. in Bullis Indulgentiarum regulariter ponuntur verba expreſſiva ſolius Sacramentalis communionis, ut v. g. his verbis. Sacramento Euchariſtiæ refectis. Ita ille. Secundo, non ſufficere communionem ſacrilegam, & indignam docet Paſſar. cum Adri. *in* 4. *de Indulg. concluſ*. 4. Navarr. *not*. 19. *num*. 6. *&* *art*. 32. *num*. 45. & aliis *quæſt*. 44. Et ratio eſt, quia nemo prudētum credet Summum Pontificem velle Indulgentiam concedere alicui propter opus ſacrilegum, quæ conceditur ad tollendam quamcumque maculam, & reatum, in Dei gloriam, & utilitatem animarum. Tertiò, non ſufficere communionem habitam paucis diebus ante diem conceſſæ Indulgentiæ: quia opus injunctum non eſt pro tempore antecedenti Indulgentiæ, ſed pro tempore, quo illa conceditur. Unde ſicut viſitatio Eccleſiæ, quæ injungitur, ut habenda, non ſufficit habita; ita communio non ſufficit niſi habenda pro tempore præfixo Indulgentiæ. Ita Paſs. *quæſt*. 45.

Quæres 16. An pueri ad communionem defectu ætatis inepti obligentur ad tale opus injunctum?

Reſpondetur. Omnes teneri: ſed quia præfati pueri non ſunt capaces, & conſequenter impediti, procurare debent, ut ſibi commutetur tale opus in aliud, per facultatem conceſſam commutandi &c. Ita Paſs. cum Herriquez Vega Santarel. &c. *quæſtione* 46.

Quæres 17. An quando reducitur ad minorem numerum illo, qui fuit primo impoſitus viſitationum Eccleſiarum poſſint computari viſitationes jam prius habitæ ad acquirendam Indulgentiam?

Reſpondetur. Affirmativè: quia in hoc caſu Pontifex non intendit injungere novum opus, ſed diſpenſare ſuper parte operis injuncti, & illum minuere quod non eveniret, ſi non eſſent computandæ viſitationes jam habitæ. In caſu, verò quo quis jam complevit numerum præfixum, quando promulgatur talis reductio, ſufficit in hoc caſu, quod unica vice viſitet Eccleſias omnes, vel unicam, vel aliquod ex injunctis operibus compleat, ut Indulgentiam lucretur. Ita Santarel. *cap*. 5. *dub*. 2. Paſs. *de Jubil. ſect*. 44. *caſu*. 13. *num*. 85. Paſq. *quæſt*. 82. *quos citat* Paſs. *quæſt*. 46.

Quæres 18. An quando injungitur in Iubilæo viſitatio plurium Eccleſiarum per unicam vicem, omiſſio viſitationis unius Eccleſiæ, vel per plures vices omiſſio unius viſitationis impediat Indulgentiæ lucrum?

Reſpondetur in primo caſu impedire: quia in illo caſu talis omiſſio eſt materia notabilis. In ſecundo verò probabile videtur

non

non impedire, ut ait Boſs. *ſect.* 4. *caſu* 13. *num.* 91. & 92. quia comparativè ad opus injunctum viſitationis Eccleſiarum: ſicuti prima omiſſio videtur notabilis ita hæc materia parva. At verò hæc valeant pro conſolatione illius, qui de facto aliquam unam viſitationem omiſit, quia vel non potuit, vel oblitus fuit. Cæterum unuſquiſque viam tutam amplectatur, & nec minimum injuncti operis omittat, ut optimè ait Paſs. *quæſt.* 49.

Quæres 19. An tempore Iubilæi ſufficiat viſitare Eccleſias pluries in eadem die?

Reſpondetur negativè: quia in Bulla inducuntur viſitationes tot per tot ęquivalentes dies continuos, aut interpolatos. Ergo nequeunt haberi per pauciores dies. Ita Sylveſt, *tract.* 8. *cap.* 10. *num.* 255. Quartus *cap.* 2. *num.* 2. Sanctarel. *de Jub. cap.* 4. *dub.* 2. Rodiquez *par.* 1. *Summæ cap.* 184. *num.* 3. quos citat, & ſequitur Paſs. *quæſt.* 50.

Quæres 20. Utrum poſſint viſitari Eccleſiæ tempore noctis?

Reſpondetur affirmativè: Ita Henriquez *lib.* 7. *cap.* 14. *num.* 5. Leon. *part.* 1. *num.* 161. Fabr. *cap.* 35. *dub.* 7. Lavor. *par.* 2. *cap.* 17. *num.* 8. & 32. Sanctar. *cap.* 4. *dub.* 2. Benzon. *lib.* 5. *cap.* 15. *diſt.* 5. Gratia. *part.* 2. *cap.* 12. Boſs. *ſect.* 4. *caſu* 14. *num.* 5. Fauſt. *lib.* 3. *quæſt.* 32. Paſqual. *quæſt.* 87. Leza. *verbo Bulla Cruciatæ num.* 18. Cotton. *lib.* 2. *controv.* 11. *num.* 61. quos ſequitur Paſs. *quæſt.* 51. Et probatur; quia quamvis in Bullis Iubilæi injungatur à Pontifice viſitatio Eccleſiæ, vel Eccleſiarum facienda in die; in jure ſub nomine diei venit dies viginti quatuor horarum, in qua etiam nox continetur. Nec obſtat, quod fores Eccleſiæ eo tempore ſint clauſæ: nam præter quam quod nomine Eccleſiæ veniat etiam oſtium, ſicuti ſub nomine domus *L. ſi quis aquæductu cap. de contrab. empt.* confugientes ad Eccleſiam, ſi morentur in oſtio etiam illa clauſa, gaudent privilegio immunitatis: quare igitur non gaudebunt Indulgentia ſic orantes?

Quæres 21. An ſit neceſſarius acceſſus ad Eccleſiam ad lucrandam Indulgentiam?

Reſpondetur negativè per ſe, & abſolutè loquendo: acceſſus quippe tantùm requiritur pro illis, qui extra Eccleſiam habitant: cæterum habitantes in Eccleſia, ubi eſt Indulgentia, & illi inſervientes etiam gaudent eodem Indulgentiæ beneficio, quo privarentur, ſi per ſe requireretur talis acceſſus. Hanc ſententiam tenent omnes præcitati Authores defenſores aſſertionis immediatè præcedentis. Qui ſimiliter dicunt, ſufficientem præſentiam pro viſitatione Eccleſiæ pro Indulgentia acquirenda, vel eſſe phyſicam corporis intra Eccleſiam, vel extra, ita tamen, quod in tali ſitu ſit, qui lucraturus eſt Indulgentiam, ut poſſit abſque impedi-

Digitized by Google

pedimento vel januæ clauſæ, vel populi tumultus, & clamoris, vel ſurditatis, & cæcitatis &c. commodè audire, & videre, & Eccleſiam, & ea, quæ in ea fiunt. Immo aliqui ex illis (à quibus non videtur Paſſar. recedere) aſſerunt, habentes domum propè Eccleſiam, qui poſſint per aliquam feneſtram videre, & audire, quæ in illa fiant; ex propria domo poſſunt Eccleſiam ipſam viſitare, & conſequentèr Indulgentiam lucrari; ſicuti poſſunt æquè bene Miſſam audire, & Divinis Officiis intereſſe. Lezan. Cotton. in locis ſupra immediatè citatis, & Palaus *tract.* 24. *part.* 3. *num.* 15. Quam ſententiam non audeo reprobare.

Colligitur ex hoc, quod ſi pro Indulgentia aquirenda ſit neceſſaria viſitatio vel omnium, vel aliquorum Altarium in Eccleſia exiſtentium, ſicuti tantum requiritur per ſe præſentia pro viſitatione Eccleſiæ, non verò acceſſus pro aquirenda Eccleſiæ Indulgentia, ita pro illa Altarium. Quare dum commodè aliquis exiſtens in Eccleſia poteſt videre Altaria, etiamſi actualiter illa non videat: dummodo præſtet illis debitum cultum, & oret juxta mentem cõcedentis Indulgentiam, illam lucrabitur. Rodriquez in Bulla Cruciatæ §.8.*num.* 12. Sanctarel. *cap.* 7. *dub.* 1. Bonac. *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *punct.* 5. *num.* 25. Paſq. *quæſt.* 87. *num.* 7. Trullenſ. in Bulla Cruciatæ §. 6. *dub.* 2. *num.* 4. Boſs. *sect.* 4. *caſu* 14. *num.* 16. Paſq. *quæſt.* 52.

Quæres 22. Qualis devotio requiratur in viſitatione Eccleſiarum pro Indulgentia aquirenda: cùm ſemper in Bullis Jubilæum, vel Indulgentiam concedentibus, vel expreſsè injungatur devotio in viſitatione Eccleſiæ, vel præſupponatur?

Reſpondetur, Devotionem, quæ requiritur ad aquirendam Indulgentiam in viſitatione Eccleſię, eſſe illam quę fit ad Dei cultum, & honorem, cum intentione adimplendi voluntatem concedentis expreſſam in Bulla conceſſionis; Prout colligitur ex definitione D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 182. *art.* 1. Undè ablato hujuſmodi fine in viſitatione Eccleſiæ, vel Eccleſiarum, non aquiritur Indulgentia. Cordu. *quæſt.* 21. *concl.* 1. Suar. 3. *part. tom.* 4. *diſp.* 52. *sect.* 1. *num.* 4. Filucc. *tract.* 8. *num* 132. Paſqual. *diſput.* 89. Paſs. *quæſt.* 53.

Quæres 23. An quando injungitur viſitatio Eccleſiæ ſufficiat pro Indulgentia viſitatio alicujus Oratorii privati conceſſi in favorem alicujus?

Reſpondetur negativè: quia licet ſit approbatum ab Epiſcopo hujuſmodi Oratorium, non venit tamen nomine Eccleſiæ juxta Stat. Concil. Trident. *ſeſs.* 22. & decretum Sac. Congreg. Concilii datum 10. Martii 1615. unde nec gaudet immunitate, nec poſſunt eſſe in eo ſepulturæ, & non



Digitized by Google

poteſt in eo celebrari niſi in die Miſſa. Ergo nec ille, cui conceſſum eſt tale Oratorium, nec à fortiori quilibet alius extraneus lucrari poteſt Indulgentiam viſitando illud; niſi expreſsè ſit declaratum à concedente. Ita communiter Doctores.

Quæres 24. An teneatur tempore Iubilæi viſitans Eccleſias deſignatas ingredi per Portas Sanctas?

Reſpondetur negativè. Quia in Bulla non injungitur hoc onus, ſed ſimpliciter viſitatio Eccleſiarum prædictarum. Ita Paſs. *quæſt.* 55. qui citat etiam multos alios Doctores.

Quæres 25. An in Iubilæis extraordinariis poſſint Epiſcopi deſignare plures Eccleſias viſitandas à numero illarum, quas præſcripſit Pontifex in Bulla?

Reſpondetur negativè: quia non poteſt Epiſcopus in hoc caſu imponere novum onus ab illo, quod aſſignavit Pontifex pro dicta Indulgentia aquirenda. Paſſ. *quæſt.* 96.

Hic advertendum eſt ex eodem Doctore, quod quando injungitur pro Indulgentia viſitatio plurium Eccleſiarum, ſi non exprimatur in Bulla, quod viſitentur omnes eadem die, non eſt neceſſe, quod ita viſitentur, ſed ſufficit, quod diverſis ex pluribus diebus viſitentur, juxtà Indulgentiam lucrantis commoditatem.

Quæres 26. An teneantur Regulares viſitare Eccleſias deſignatas, ut Iubilæum, vel Indulgentiam conſequantur?

Reſpondetur affirmativè. Ita ferè communiter Doctores: Iubilæum quippe tantùm Eccleſias deputatas viſitantibus eſt conceſſum.

In caſu verò, quod Superior neget juſtis de cauſis alicui ſubdito licentiam, ut Eccleſias viſitet dicto tempore Iubilæi, ad aquirendam Indulgentiam; poteſt per Confeſſarium commutari hoc opus in aliud ſibi beneviſum, ut ait Paſſar. *quæſt.* 56. cum Paſq. *quæſt.* 95. Armil. *verbo Indulgentia num.* 19. Lavor. *part.* 1. *cap.* 21. *num.* 7. Grat. *par.* 2. *num.* 11. Fabrin. *cap.* 35. *num.* 7. *dub.* 16. Sanctarel. *cap.* 4. *dub.* 5. Polach. *ſect.* 41. *num.* 9. Boſs. *ſect.* 4. *cap.* 16. *num.* 23.

Quæres 27. Qualis, & quanta debeat eſſe oratio pro aquirenda Indulgentia?

Reſpondetur, in hoc eſſe ponderandas litteras Apoſtolicas, in quibus ſolet hoc exprimi.

Quæritur 28. An etiam pauperes teneantur dare eleemoſynam, quando illa indefinitè injungitur?

Reſpondetur affirmativè: pro ea portione etiam minima, quam poſſunt erogare, caſus quippe impoſſibilitatis videtur valde difficilis: quis enim etiamſi mendicus nequit dare ſaltem unum minutum, ſeu infimum quadrantem alteri pro eleemoſyna? Si verò aliquando detur talis caſus, ut

in Religioſis, ſaltem aliquibus, petatur cõmutatio in aliud opus à Confeſſario. Paſſer. *quæſt*. 62. qui citat pro hac ſententia Botton. in Bulla Sixti V. *verbo eleemoſynam erogent propoſit*. 2. Lavor. *par*. 1. *cap*. 19. *num*. 6. Leon. *par*. 2. *num*. 72. Sanctarel. *cap*. 7. *dub*. 1. Boſs. *ſect*, 14. *caſu* 21. *n*. 3. & alios, quos ſequitur Paſqual. *quæſt*. 127. *num*. 5.

Quæres 29. An Superior Regularis teneatur dare Subdito licentiam ad operandum ea, quæ ſine dicta licentia non poteſt, ad hoc ut Indulgentiam, ſeu Iubilæum conſequatur?

Reſpondetur negativè: quia Iubilæum, & Indulgentia non ſunt de præcepto, ſed de conſilio: non tenetur autem Superior ad ea præſtanda, quæ ſunt de conſilio; præcipuè cùm ſint alia, quæ Subditus poteſt etiam operari de cõſilio non inferioris conditionis, ac ſit Iubilæum, & Indulgentia abſque detrimento propriæ obſervantiæ. Colligitur hoc ex D. Thom. 4. *diſt*. 20. *quæſt*. 1. *art*. 3. *quæſt*. 2. *ad ſecundum*, ubi ſic habet. Dicendum, quod propter Indulgentias non debet diſſolvi regularis obſervantia &c. Ita etiam tenet Paſſar. *quæſt*. 65. & alii apud ipſum.

Quæres 30. An ſatisfaciat jejunio, quod neceſſariò requiritur ad Indulgentias, qui veſcitur ovis, & lacticiniis?

Reſpõdetur negativè cum Paſſarino *quæſt*. 71. niſi qui lucratur Indulgentiam fuerit in aliqua Regione, ubi ſit conſuetudo illa comedendi in jejuniis: unde ſicuti qui illis veſcitur in jejuniis injunctis pro Indulgentia, nihil lucratur, cui ſententiæ me quoque ſubſcribo.

Quæres 31. An, cùm aliquis exequitur opera injuncta, neceſſariò debeat eſse in gratia?

Reſpondetur negativè, ſed ſufficere, quod ſit in ſtatu gratiæ, dum exequitur ultimum opus. Ita communiter omnes Doctores, ut ait Paſſarinus *quæſt*. 74. quam ſententiam dicit confirmari praxi, & conſuetudine Eccleſiæ: in Iubilæis enim quam plurimi ſunt, qui confitentur in fine operum injunctorum; & hoc ferè ſemper ſaltem tacitè approbante Summo Pontifice; cum coram Sede Apoſtolica Romæ hoc ſit in conſuetudine poſitum. Cum ergò (ſic doctiſſimè concludit Paſſarinus) conſuetudo univerſalis ſit optima legum interpres. Dilectus *de Conſuet*. *&c*. ab hoc non eſt recedendum.

Quæres 32. Cui competat facultas concedendi Indulgentias?

Reſpondetur, quod de jure divino ſoli Romano Pontifici competit: ut aſſerit Clemens VI. *in Extravaganti Unigenitus*, *de pœnit*. *&* *remiſs*. & D. Thomas 4. *diſt*. 20. *quæſt*. 1. *art*. 4. *quæſt*. 3. & alii, quos numerat Paſſar. *quæſt*. 85. De jure verò humano competit etiam Epiſcopis, non delegata, ſed ordinaria; limitata tamen in ter-



Digitized by Google

minis *cap. ex eo de pœnit. & remiſs.* Poſſunt ergo Epiſcopi in dedicatione Eccleſię centum dies: in Anniverſario verò, & in alia quacumque occaſione ſolùm quadraginta dies Indulgentiæ Fidelibus concedere. Vide Paſſarinum ibi ſupra, & *quæſt.* 86.

Quæres 33. Quotuplex ſit forma concedendi Indulgentiam?

Reſpondetur, duplicem eſſe: aliam Indulgentiæ ferendæ, aliam Indulgentiæ ipſo facto conceſſæ: eo modo, quo datur excommunicatio, ut fuit dictum ſupra. Prima eſt, qua Pontifex concedit Indulgentiam plenariam alicui in articulo mortis conſtituto: hoc eſt, ut poſſit abſolvi ab omni culpa, & pœna. In quo caſu non eſt Pontifex, qui dat immediatè Indulgentiam, ſeù abſolvit, ſed Confeſſarius à Pontifice delegatus. Secunda verò, quando Pontifex immediatè concedit Indulgentiam hoc, vel illud exequenti. Ita communiter omnes.

Quæres 34. An quando conceduntur Indulgentiæ Stationum Urbis, intelligantur conceſſæ omnes Indulgentiæ, quæ ſunt Romæ in Eccleſia Stationali die Stationis?

Reſpondet negativè Paſſarinus *quæſt.* 100. Et ratio eſt, quia aliud eſt Indulgentiæ Stationales, ſeu Stationum (quæ ſcilicet intuitu Stationis conceſſæ ſunt aliquibus Urbis Eccleſiis) aliud verò, quæ ex alio motivo, & cauſa fuerunt illis Eccleſiis, ubi ſunt Stationes conceſſæ. Unde ſi conceduntur Indulgentiæ Stationum tantùm, non conceduntur omnes, quæ ſunt in Eccleſiis ſtationalibus, ſeu in quibus ſunt Stationes.

Hìc advertendum, quod non reperitur aliqua Bulla, quæ inter alias Indulgentias Stationum, ſeu Stationales, quæ multæ ſunt, concedat Indulgentiam plenariam: & idem dicitur ex conſequenti de illis Eccleſiis, ſeù Altaribus, quibus conceſſæ fuerunt Indulgentiæ Stationum Urbis. Vide ſuper hoc Paſſarinum non ſolùm in citata quæſtione, ſed in antecedentibus 97. 98. & 99.

Quæres 35. An Indulgentiæ conceſſæ uni Eccleſiæ Regulariũ ex vi communicationis privilegiorum competant Eccleſiis Regularium habentium privilegium communicationis.

Reſpondetur Indulgẽtias conceſſas Eccleſiis Regularium communicari Eccleſiis aliorum Regularium habentium privilegium communicationis, non tamen ex vi communicationis privilegiorum: quia privilegium propriè loquendo non eſt Indulgentiæ: cum hac tamen reſtrictione; quod illæ Indulgentię intelligantur pro ipſiſmet Regularibus tantùm, non verò pro ſæcularibus, ait Paſſar. *quæſt.* 120.

Quęres 36. An Indulgentiam ſibi conceſſam poſſit quis alteri communicare?

Reſpondetur negativè niſi ex indultu ſpecifico Summi Pontificis.

Digitized by Google

ficis. Vide Paſſarinum *quæſt*.107.

Quęres 37. An Indulgentia poſſit revocari ſine cauſa?

Reſpondetur negativè. Quia Indulgentia eſt gratia non à Domino, ſed à diſpenſatore conceſſa, ut dictum eſt ſupra: diſpenſator autem non poteſt Domini bona diſpenſare ſine cauſa, & conſequenter, immò & à fortiori conceſſa tollere: Palaus *tract*.24. *par*. 11. *num*. 2. de Lugo *diſput*. 27. *num*.146. Cott. *lib*.2. *controv*. 11. *num*. 104. Nugnus *in ſuppl. quæſt*. 27. *art*.4. *ad* 5. quos citat, & ſequitur Paſſarin. *quæſt*. 106.

Quęres 38. An Indulgentię omnes conceſſę pro Regularibus ante Paulum V. ſint revocatę?

Reſpondetur affirmativè, ita ut contrarium aſſerere ſit propoſitio damnata inter alias ab Alexandro Septimo in Congreg.General. SS. Inquiſitionis die 18. Martii 1666. & eſt in ordine 37. Vide dubia, quę occurrunt ſuper hoc circa Indulgentias nonnullas, in Paſſarino *quæſt*. 118.

Quęres 39. An Indulgentia prodeſſe poſſit Defunctis?

Reſpondetur affirmativè. Et quamvis hoc negare ſit temerarium, & praxi Eccleſię non conſonum; probatur ſic à Paſſarino *quæſt*. 111. Poteſt aliquis valorem ſatisfactionis proprię Defunctis applicare, & pro illis ſatisfacere. Ergo à fortiori poterunt Indulgentię ab Eccleſia,ſeu Summis Pontificibus Fidelibus Defunctis applicari, qui ſunt in ſtatu ſatisfactionis pœnę temporalis in Purgatorio.

Advertendum tamen, quod ad hoc, ut Indulgentię proſint defunctis, neceſſe eſt quod exprimatur à Summo Pontifice in conceſſione Indulgentię; quia ſolus Indulgentię diſpenſator, qualis eſt Summus Pontifex poteſt de Theſauro Eccleſiæ illam, cui vult, applicare: ſi verò hoc non exprimat in conceſſione Summus Pontifex, non cenſetur applicare: non enim ſufficit illa clauſula fidelibus utriuſque ſexus: quia ſub nomine fidelium abſolutè prolato veniunt tantùm viatores. Ita Paſſar. *ibidem*.

Quęres 40. An Indulgentię proſint omnibus Fidelibus Defunctis in Purgatorio exiſtentibus?

Reſpondetur affirmativè: quia etiam Cathecuminis (de quibus poteſt ſolum eſſe difficultas) quamvis non baptizatis, prodeſſe dicendum eſt Indulgentiam, quę omnibus juſtificatis tam Vivis, quàm Defunctis prodeſſe fatendum eſt. Cnm igitur Cathecumini etiamſi non inſigniti Baptiſmi charactere; quia morte pręoccupati, Baptiſmum ſuſcipere non valuerunt in vita: tamen ratione deſiderii Baptiſmi, qui dicitur Baptiſmus flaminis, ab Eccleſia recepti ſunt, tamquam juſti, nequeunt tanto bono privari Paſs. *quæſt*. 112.

Quęres 41. An Indulgentia pro Defunctis ſit abſolutio, vel re-

miſſio

Digitized by Google

miſſio pœnæ, ſeu potius ſuffragium pro ea oblatum?

Reſpondetur, Animas in Purgatorio exiſtentes non eſſe ſubditas Eccleſiæ militanti, ſeu poteſtati Clavium; Ex quo ſequitur non poſſe illis Indulgentiam prodeſſe per modum abſolutionis, & Judicii, ut communiter aſſerunt Doctores; ſed per modum ſuffragii. Paſs. *queſt.* 113.

Differentia autem inter Indulgentiam per modum ſuffragii, & per modum abſolutionis, ſeu judicii eſt: quia hæc eſt actus juriſdictionis in perſonam, cui datur. Pontifex enim, tamquam primus, & verus Paſtor, & Iudex, abſolvit per dictam Indulgentiam à reatu pœnæ temporalis ſuum ſubditum oblata Deo proportionata ſatisfactione de Theſauro Eccleſiæ. Illa verò non eſt actus juriſdictionis in perſonam, cui conceditur: quia Pontifex, ut ſuperius diximus, non habet juriſdictionem, niſi in viatores, ſeu vivos, & in hac mortali vita exiſtentes: & ſic non eſt actus judicialis, ſeu abſolutionis: ſed tantum quædam ſupplicatio (quæ poteſt dici actus precatorius) per quam Pontifex offerens de Theſauro Eccleſiæ æquivalentem ſatisfactionem, obſecrat Deum, ut hunc, vel illum liberet à Purgatorii pœna Paſs. *quæſtione* 114.

Quæres 42. An Indulgentia per modum ſuffragii conceſſa pro Defunctis habeat infallibiliter effectum liberandi animas à Purgatorio?

Reſpondetur negativè. Sic habent Ricchar. 4. *diſt. art.* 3. *quæſt.* 203. 3. Dur. *queſt.* 4. *n.* 12. Cajet. *tom.* 1. *tract.* 16. *queſt.* 5. Cord. *art.* 6. *queſt.* 13. & 15. Canus *lib.* 12. *de locis cap.* 13. *ad* 9. §. *errant.* Dominicus Sot. *lib.* 3. *de Indulgent.* Henriquez *lib.* 7. *cap.* 7. *num.* 4. Layman. *lib.* 5. *tract.* 7. *cap.* 7. *num.* 2. Bonacin. *diſput.* 6. *quæſt.* 1. *par.* 6. *circa finem*. Lezan. *verbo Indulgentia num.* 5. Amicus *tom.* 8. *diſp.* 20. *ſect.* 8. *num.* 176. Belar. *lib.* 1. *cap.* 14. Paſſar. *queſt.* 115. Et ratio eſt: quia, ut diximus, Defunctus in Purgatorio exiſtens eſt tantùm ſub poteſtate, & dominio Dei, & ſubditus immediatus judicii Divini. Ergo quantumcumque Pontifex applicet, ſeu offerat Deo competentem compenſationem de Theſauro Eccleſiæ per Indulgentiam per modũ ſuffragii pro Defunctis; niſi Deus acceptet, vel conſtet quod ille ex ſpeciali promiſſione ſe obligaverit ad acceptandam hujuſmodi compenſationem; non poteſt infallibiliter liberare animas in Purgatorio per ſententiam judicii Divini definitivam detentas.

Quæres 43. An ad aquirendam Indulgẽtiam pro Defunctis, neceſſariò debeat eſſe in gratia qui illam lucrari vult, quando exequitur opus injunctum?

Reſpondetur negativè contra Nugnum ſuppl. D. Thom. *qu.* 25. *art.*

Digitized by Google

*art.* 1. *dub.* 3. dummodo hoc non ſit ſpecialiter requiſitum à concedente. Et ratio potiſſima eſt: quia gratia ſanctificans non requiritur per ſe pro opere injuncto ad acquirendam Indulgentiam: ſed pro ipſa Indulgentia: injuſtus quippe non eſt capax Indulgentiæ, quæ datur ad tollendum reatum pænę temporalis relictum ex peccatis jam dimiſſis (quod eſt idem ac dicere reatum pœnæ hominis juſtificati.) Unde non poſſunt eſſe ſimul injuſtus, & Indulgentia, quæ eſſentialiter eſt hominis juſti. Cæterum poteſt quis adimplere opera injuncta pro Indulgentia aquirenda, & non eſſe in gratia: quamvis nequeat Indulgentiam obtinere, niſi in ſtatu gratiæ ſit. Cum igitur Indulgentia ſit obtinenda non ab eo, qui exercet opus injunctum, ſed ab anima juſta in Purgatorio detenta, non eſt neceſſe, quod qui exequitur opus injunctum pro dicta Indulgentia, ſit in gratia, dum illud exequitur. Hanc ſententiam amplexi ſunt ferè omnes Doctores, quos citat, & ſequitur Paſſarinus *quęſt.* 119.

Quęres 44. An in aquirente Indulgentiã pro Defunctis ſit neceſſaria intentio, & applicatio illius?

Reſpondetur. Non eſſe neceſſariam applicationem operis injuncti, niſi hoc exprimatur in conceſſione, ut ſit de Miſſæ ſacrificio, quod neceſſariò applicationem requirit. Secus verò pro Indulgentia, quæ à vivente applicanda eſt Defuncto ſibi beneplacito ex indulto Pontificio: quare neceſſario ille, qui Indulgentiam pro Defunctis lucrari vult, vel actualiter, vel virtualiter debet ſemper illam applicare Paſs. *quęſt.* 120. Ratio autem quare non requiratur pro opere injuncto intentio, & applicatio, pro Indulgentia verò requiratur, eſt: quia remiſſio pœnæ non dependet ab opere injuncto, ſed à meritis Chriſti Domini, & Sanctorum, ſeu ab Eccleſiæ Theſauro, qui à Pontifice Deo offertur in ſuffragium defunctorum, ut diximus: ab Indulgentia verò neceſſariò illa dependet. Adeoque opera injunguntur Indulgentiam aquirenti tamquam conditiones ab illo adimplendæ, ut illis poſitis poſſit cuicumque Defunctorum voluerit Indulgentiam applicare. Et ſic non eſt neceſſe, quod applicentur opera, ſed tantum Indulgentia.

# LAUS DEO.

IN-

# INDEX NOTABILIVM

## Prior numerus deſignat dubium, ſecundus paginam.

## A

ACcuſare parentes de re gravi grave peccàtum eſt 4. Præcept. Decal. Dub. 1. pag. 63.

Acædia quid ſit de pecc. cap. dub. 7. 17.

Acædia cui virtuti directè opponatur dub. 7. 18.

Acædia ex genere ſuo eſt culpa gravis. ibid. 18.

Acædiæ filiæ quot, & quales ſint. ibid.

Acædia eſt oppoſita primo Decalogi prȩcepto 1.prȩcept.Decal. dub. 4. 27. & 28.

Actio, quæ ſecundùm ſe eſt peccatum veniale, poteſt aliquando fieri mortale, prænot. gen. pag. 2.

Adoratio,in quo conſiſtat, 1. præcept. Decal. 20. & 21.

Adoratio quotuplex ſit, ibid. 21. & 22.

Advertentia, quomodo requiratur ad peccandum, prænot. gen. 2.

Adulterium, quid ſit, 6. præcept. Decal. dub. 1. 82.

Adulterium cõmiſſum cum conjugata magis grave eſt, quàm cum libera, ibid. 82. & 83.

Adulterium eſt peccatum gravius ſtupro, & raptu, ibidem.

Adulterium eſt, habere copulam cum conjugata, etiam aſſentiente Marito, ibid. ead.

Adulter quando teneatur manifeſtare filium ab adulterii copula conceptum, ibid. ead.

Adultera tenetur recompenſare damna filiorum legitimorum, ſicut & adulter, ſi habuerint filios ex adulterio, ibid. 83.

Agnus Dei Pontificii, qua adoratione adorari debent, 1. præcept. Decal. dub. 1. 23.

Ambitio quid ſit de pecc. cap. dub.1. 11.

Amare proprios parentes, quomodo filii teneantur, 4. præcept. Dub. 1. 66.

Aſtrologia quid ſit, 1. præcept. Decal. Dub. 5. 31.

Aſtrologia judicatoria grave peccatum eſt, ibid.

Attritio ſupernaturalis eſt materia

ria

Digitized by Google

ria proxima Sacramenti Pœnitentiæ, prænot. gener. 7.
Attritio ſupernaturalis, quid ſit, prænot. gen. 7.
Attentio qualis requiratur ad recitationem Divini Officii, 1. præcept. Decal. Dub. 6. 39.
Avaritia quid ſit de pecc. cap. Dub. 2. 11.
Avaritia quomodo ſit peccatum mortale, ibidem.
Avaritiæ filiæ quot ſint, ibid. 12.
Avaritiæ prodigalitas contraria eſt, ibidem.
Auſpicium quid ſit, 1. præcept. Decalogi Dub. 5. pag. 32.
Augurium quid ſit, ibid. 32.

# B

BEneficiati omittentes recitationem Divini Officii, tenentur ad fructuum reſtitutionem, 1. præcept. Decal. Dub. ult. 40.
Beſtialitas quid ſit, & quale peccatum, 6 præcept. Decal. Dub. 2. 88.
Blaſphemia quid ſit, 2. præcept. Decalogi, Dub. 2. 47.
Blaſphemia quotuplex ſit, ibid.
Blaſphemia quale peccatum ſit, ibid. 48.
Blaſphemia cur ſit contra ſecundum Decalogi præceptum, ibidem, 48.
Blaſphemiæ peccatum committit, qui deſperando de Divina miſericordia ſtatuit ſe velle mori impœnitentem, ibid. 49.
Bona ablata, quando ſunt certa, ideſt Domini certi, Domino reſtituenda ſunt, 7. præcept. Decal. Dub. 3. 104.
Bona ablata, quando ſunt incerta, ideſt Domini incerti, pauperibus deſtribuenda ſunt, ibidem.

# C

CAſus reſervatus quid ſit, de caſ. reſervat. 168.
Caſus reſervati Epiſcopis in Italia quales ſint, ibid. 168.
Caſus reſervati Superioribus Regularibus quot ſint, & quales, ibidem.
Caſus reſervati poſſunt abſolvi à quocumque Sacerdote, ſi Pœnitens ſit in articulo mortis conſtitutus, ibid. 169.
Caſtrari ob motivum canendi in Eccleſiis licet, 5. præcept. Decal. dub. 2. 74.
Cauſans detractionem à qua proveniat proximo infamia, peccat mortaliter, 8. præcept. Decal. dub. 3. 135.
Cenſura quid ſit de cenſur. Eccleſiaſt. 59.
Cenſura quotuplex ſit, ibid.
Chriſtus adorari debet adoratione Latriæ, 1. præcept. Decal. dub. 1. 21.
Chriſti humanitas, qua adoratione adoranda ſit, ibidem.
Charitate quomodo Deus ſit adorandus, 1. præcept. Decalogi dub. 4. 27.



Digitized by Google

Charitas eſt virtus Theologica, ibidem.
Charitas in quo conſiſtat, ibidem. 28.
Charitas eſt amor amicitiæ, ibidem.
Charitas non eſt amor concupiſcentiæ, ibidem.
Charitatis præceptum quomodo, & quando obliget, ibid. 28.
Chyromantia quid ſit, 1. præcep. Decal. dub. 5. 32.
Circumſtantiæ, quæ mutant ſpeciem peccati, exprimi debent in confeſſione. prænot. gen. 9.
Cooperantes ad damnum proximi, tenentur ad talis damni compenſationem. 7. præcept. Decal. dub. 3. 106.
Conditiones requiſitæ ad Sacramentalem Confeſſionem. prænot. gen. 8. & 9.
Confeſſio Sacramentalis quomodo definiatur. ibid. 9.
Confeſſio eſt neceſſaria ad lucrandam Indulgentiam. de Indulgent. 173.
Contritio eſt materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ. prænot. gen. 8.
Contumelia quid ſit. 8. præcept. Decalog. dub. 2. 125.
Contumelia in quo à detractione differat. ibidem.
Contumelia eſt gravius peccatum, quam ſit detractio. ibidem.
Contumeliæ dictæ contra parentes grave peccatum ſunt. 4. præceptum decal. dub. 1. 63. & 64.
Copula viri, aut mulieris cum Dœmone ad beſtialitatem reducitur. 6, præcept. decal. dub. 2. 88.

# D

Decalogus quid ſignificet, de præcept. decal. 19.
Defectus manifeſtare de Religionibus, quibus proveniat notabile præjudicium ex tali manifeſtatione culpa gravis eſt. 8. præcept. decal. dub. 2. 128.
Delictum notorium jure, revelare non eſt peccatum. ibid.
Delectatio quando ſit peccatum veniale, & quando mortale. prænot. gen. 3.
Delectatio moroſa quid ſit. ibidem. 4.
Deriſio quid ſit. 8. præcept. decal. dub. 4. 36.
Deſperatio in quo conſiſtat. 1. præcept. decal. dub. 3. 26.
Detractio quid ſit. 8. præcept. decal. dub. 2. 129.
Detractio in quo differat à contumelia. ibid.
Detractio quot modis fieri poſſit. ibidem.
Deus quomodo ſit adorandus. 1. præcept. decal. per totum.
Dies feſtivus quotupliciter accipiatur. 3. præcept. decalogi, dub. 1. 57.
Dies non ſacer qualis ſit. ibid.
Diei ſacrę tranſgreſſio grave peccatum eſt. ibidem.
Die feſtivo quæ opera ſint prohibita.

bita. ibidem. 58.

Die feſtivo mercaturæ fieri non poſſunt. ibid. 59.

Die feſtivo actus judiciarii ſunt prohibiti. ibidem.

Diſtractio voluntaria in recitatione Divini Officii quale peccatum ſit. 1. præcept. decal. dub. 7. 39.

Divinatio quid ſit. 1. præcept. decal. dub. 5. 31.

Dubitans aliquam fidei veritatem hæreticus internus cenſendus eſt. 1. præcept. decal. dub. 2. 25.

Duliæ adoratio cui competat. 1. præcept. decal. dub. 1. 20.

E

EBrietas quando ſit culpa gravis. de pecc. cap. dub. 6. 17.

Ebrietatis filię quales ſint dub. 6. 17. ead.

Eccleſia habet poteſtatem concedendi Indulgentias, de Indulgentiis. 170.

Eccleſiæ dirutæ, utrum ceſſent privilegia illi conceſſa. ibidem. 172.

Emptio in quo differat à venditione. 7. præcept. decalogi, dub. 5. 112.

Emptio verus contractus eſt. ibidem.

Eromantia quid ſit. 1. præcept. decal. dub. 5. 31.

Excommunicatio quid ſit de cenſur. Eccleſ. 160.

Excommunicatio ſupponit ſemper peccatum. ibidem.

Excommunicatio quotuplex. ibidem.

Excommunicatio major quotuplex ſit. ibid. 160.

Excommunicari non poſſunt, qui Sacrum Baptiſmum non receperunt. ibid. 162.

Excõmunicationis abſolutio ſpectat ad Superiorem, cui eſt reſervata. ibid. 162.

Excõmunicationis effectus quot, & quales ſint. ibid. 163.

Excommunicatus non gaudet Indulgentiis. ibidem.

Expendens denarium falſum, debet ei cui dedit, bonum reſtituere. 7. præcept. decalogi, dub. 3. 106.

F

FAma quid ſit. 8. præcept. decal. dub. 2. 124.

Fama quibus modis tollatur. ibidem.

Fama, internè aufertur per temerarium judicium. ibidem.

Famuli auferentes bona Domini ſi non ſint in extremâ neceſſitate poſiti, peccant. 7. præcept. decal. dub. 1. 96.

Famæ propriæ detrahere grave peccatum eſt. 8. præcept. decal. dub. 2. 126.

Fœminæ gravidæ, & lactantes excuſantur à jejunio, præcept. Eccleſ. dub. 3. 150.

Fide quomodo Deus adoretur. 1. præcept. decal. dub. 2. 23.



Digitized by Google

Fidelis quando teneatur actus fidei elicere. ibid. 24.
Fidelis quas fidei veritates teneatur credere. ibid. ead.
Fidelis perveniens ad annum vigeſimum primum completum tenetur ad jejunium præcept. Eccleſ. dub. 3. 150.
Filius non tenetur obedire parentibus in rebus peccaminoſis. 4. præcept. decalogi, dub. 1. 64.
Filii furantes Patri notabilem pecuniæ quantitatem peccant mortaliter. ibidem.
Forma Sacramenti Pœnitentiæ. prænot. gen. 9.
Forma concedendi Indulgentias quotuplex, de Indulgen. per tot.
Fornicatio ſimplex quid ſit. 6. præcept. decal. dub. 1. 79.
Fornicatio ſimplex peccatū mortale eſt. ibidem.
Fornicatio per modum concubinatus abſolvi non poteſt. ibidem. 79.
Fornicatio cùm infideli eſt circumſtantia notabilis in confeſſione aperienda. ibidem.
Furtum quid ſit. 7. præcept. decal. dub. 1. 91.
Furtum differt à rapina, ibidem, & ſeq.
Furtum quando cùm ſacrilegio conjunctum ſit. ibid. 92.
Furari rem ſacram, aut furari in loco ſacro ſacrilegium eſt ibidem. ead.
Furtum in ſe ipſo peccatum mortale eſt ibidem.
Furtum & opponitur charitati, & juſtitiæ ibidem.

# G

GEomantia quid ſit. 1. præcept. Decal. dub. 5. 31.
Gula quid ſit. præcept. cap. dnb. 6. 16.
Gula, cui opponatur. dub. 6. ead.
Gula ex natura ſua eſt peccatum veniale. dub. 6. 17.
Gula, quando ſit peccatum mortale. dub. 6. ead.

# H

HÆreticus, qualis ſit. 1. præcept. Decalogi. dub. 2. 25.
Hæreticus, quis dici debeat. ibidem.
Hæredes occiſoris, etiamſi ille à juſtitia morte mulctetur, tenentur ad recompenſationem damnorum illatorum ex injuſta occiſione. 5. præcept. Decalog. dub. 3. 75.
Hæres tenetur ad reſtitutionem ejus, ad quod tenebatur Teſtator. 7. præcept. Decal. dub. 3. per tot.
Homicidium tam in executione, quàm in intentione prohibitum eſt. 5. præcept. Decalog. dub. 1. 74.
Homicidium in Eccleſia factum, quid addat. ibid. ead.

Ho-

Digitized by Google

Homicidium ex publica auctoritate factum licitum eſt. 5. præcept. Decal. dub. 2. 73.
Homicidium, ad tollendam infamiam aliquam notabilem non eſt licitum. ibid. 73. & 74.
Honor filiorum erga parentes quotuplex debeat eſſe. 4. præcept. Decalog. dub. 1. per tot.
Honor, quid ſit. 8. præcep. Decal. dub. 4. 136.
Honori, quot modis noceri poſſit, ibidem, & 137.
Honor ablatus per contumeliam, aut deriſionem, quomodo ſit compenſandus. 8. præcept. Decal. dub. 4. 137.
Hora prandii tempore jejunii, eſt meridies. præcept. Eccleſ. dub. 3. 154.
Hyperdulia, cui conveniat. 1. præcept. Decal. dub. 1. 20.
Hydromantia, quid ſit. 1. præc. Decal. dub. 5. 31.

I

IDolatria quid ſit. 1. præcept. Decal. dub. 5. 30.
Jeiunium quid ſit. præcept. Eccleſ. dub. 1. 139.
Jeiunium quotuplex ſit. ibidem. eadem.
Jeiunium naturale diſpenſatur Infirmis ad ſumendum Sacratiſſimum Viaticum. ibid.
Ieiunium frangere in Vigiliis grave peccatum eſt, ibidem, dub. 2. 141.
Jeiunare loco alterius ad ſatisfaciendum præcepto non poteſt. ibidem, dub. 3. 148.
Jeiunium unius diei non poteſt in alium diem transferri. ibidem 148.
Ignorantia invincibilis quid ſit. Prænot. gen. 5.
Ignorantia vincibilis qualis ſit. ibidem.
Ignorantia culpabilis quotuplex, ibidem 5.
Ignorantia affectata quid ſit. ibidem.
Ignorantia craſſa qualis ſit. ibidem.
Ignorantia invincibilis, juris, & facti excuſat à peccato. ibidem.
Ignorantia vincibilis non excuſat à peccato. ibidem 5.
Imagines ſacræ, quomodo adorandæ. 1. præcept. Decalog. dub. 1. 22.
Inceſtus quid ſit. 6. præcept. Decal. dub. 1. 84.
Incubus dæmon, qui dicatur. ibid. dub. 2. 88.
Indulgentia quid ſit de Indulgen. 169.
Indulgentia quotuplex ſit. ibid. 170.
Indulgentiis remittuntur pœnæ iniunctæ à Confeſſariis in confeſſione. ibid. 170.
Indulgẽtias recipere quinam poſſint. ibid. 171.
Indulgentiæ extenduntur etiam ad animas exiſtentes in Purgatorio. ibidem.
Indulgentiam conceſſam viſitantibus Eccleſiam, an acquirant

illi,

Digitized by Google

illi, qui Eccleſiam ingredi non poſſunt. ibidem.
Indulgentia non poteſt ſine cauſa revocari. ibidem.
Indulgentia poteſt prodeſſe defunctis. ibidem.
Indulgentiæ proſunt omnibus defunctis in Purgatorio exiſtentibus. ibidem.
Infirmi ieiunare non tenentur. præcept. Eccleſ. dub.3. 50.
Infidelitas quid ſit. 1. præcep. Decal. dub.2. 25.
Infidelitas quotuplex. ibidem.
Infidelitas poſitiva quid ſit. ibidem.
Infidelitas poſitiva quotuplex. ibidem.
Infamare tenetur ſeipſum ad reſtituendam famam proximo ſuo. 8. præcept. Decal. dub. 3. 133.
Invidia quid ſit. dub.4. 14.
Invidia, cui opponatur. ibid.
Invidia ex natura ſua grave peccatum eſt. dub. 4. 14.
Invidia quando ſit culpa gravis, aut levis, dub.4. ead.
Invidiæ filiæ quot ſint, ibidem 14.
Inſtrumenta Paſſionis Chriſti qua adoratione, adorari debeant. 1. præcept. decal. dub. 1. 20.
Ira quid ſit, dub.5. 15.
Iræ filiæ quot ſint, dub.5. 15.
Irregularitas quid ſit, de Cenſur. Eccleſiaſt. 166.
Judaiſmus quid ſit, 1. præcept. decal. dub.2. 25.
Juramentum quid ſit.. 2. præcept. decal. dub.1. 42.
Juramenti genera quot ſint. 2. præcept. decal. dub.1. 43.
Juramenti validitas, quot conditiones ſervare debeat. ibidem 44.
Juramentum quando obliget, ibidem 46.
Juramentum eſt contra Religionem. 2. præcept. decal. dub.2. ead.
Judicium temerarium de re notabili grave peccatum eſt. 8. præcept. decalog. dub.2. 125.

# L

LAtria quid ſit. 1. præcept. decal. dub.1. 20.
Legi Moſaycæ contrariare in iis, quæ non pugnant legi Evangelicæ peccatum mortale eſt. prænot. gen. 4.
Lex quid ſit prænot. gen. 14.
Lex poſitiva alia Divina, alia Humana prænot. gen. 14.
Lex poſitiva Divina, alia Moſayca, alia Evangelica. prænot. gen. 4.
Lex poſitiva humana alia Eccleſiaſtica, alia Civilis. prænot. gen. 14.
Libellis famoſis occulta delicta proximi revelare graviſſimum peccatum eſt. 8. præcept. decal. dub. 3 per tot.
Lucrum ceſſans, & damnũ emergens in quo caſu excuſent emptores, & venditores. 7. præcep. decal. dub.5. 114.
Luxuria quotupliciter dividatur. 6. præcept. decal. dub.1. 79.

Magia

# M

MAgia quid ſit. 1. præcept. decal. dub.5. 30.
Maleficium quid ſit. ibid. 34.
Maleficium quale peccatum ſit, ibidem.
Maleficus quomodo à Mago diſtet. ibid. ead.
Maleficium amatorium quid ſit. 34.
Maleficium veneficum quale. ibidem 35.
Maledicentia in quo differat à blaſphemia. 2. præcept. decal. dub.2. 47.
Mancipia Turcarum, & Infidelium poſſunt tuta conſcientia res ſuorum Dominorum retinere. 7. præcept. decal. dub. 1. 93.
Materia remota Sacramenti Pœnitentiæ qualis ſit. prænot. gen. 7.
Materia neceſſaria qualis. ibidem.
Materia ſufficiens qualis. ibidem.
Materia proxima quænam. ibid.
Mater quam habeat erga filios obligationem. 4. præcept. decal. dub.2. 65.
Mater gravida in caſu infirmitatis an poſſit ut ſalvet propriam vitam accipere medicamētum, quo evidenter timeatur periculum fœtus in utero exiſtentis. 5. præcept. decalog. dub. 3. 77.
Mater nil poteſt ſumere ad procurandum abortū abſque gravi culpa, ibidem 72.
Maritus ad quid erga propriam uxorem obligetur. 4. præcept. decal. dub.2. 66.
Medici curantes ad proprium libitum ſi ex eorum cura detrimentum notabile patiatur infirmus graviter peccant. 5. præcept. decal. dub. 1.
Mendacium quid ſit. 8. præcept. decal. dub. 1. 121.
Mendacium quas habeat conditiones. ibidem.
Mendacium de ſe conſideratum quale peccatum ſit. ibidem.
Mendacium dictum in rebus Fidei graviſſimum peccatum eſt. ibidem.
Mēdacium quomodo per circumſtantias gravetur. ibidem.
Mendacium quotuplex ſit. ibid.
Mercaturæ quot ſint. 7. præcept. decal. dub.5. 115.
Mercatura oblata minus valet, quam non oblata. 7. præcept. decal. dub.5. 115.
Miſſa qua attentione audienda ſint in die feſto. 3. præcept. decal. dub. 2. 61.
Mollities voluntaria quid ſit, & quale peccatum. ibid. dub.2. 86.
Montes Pietatis à Republica, ſeù à Principe erecti liciti ſunt. 7. præcept. decal. dub.4. 109.
Monopolium prohibitum eſt. ibid.
Murmuratio quid ſit. 8. præcept. decal. dub.5. 138.
Murmuratio, in quo differat à detractione, & contumelia. ibid.
Murmuratio eſt culpa gravis. ibidem.

Ne-

Digitized by Google

# N

NEgotiatio Clericis, & Monachis prohibita eſt.7.præcept. decal. dub. 5. 117.
Negromantia quid ſit. 1.præcept. decal. 31.
Nundinæ an diebus feſtivis prohibeatur.8.prȩcep.decal.dub.1. per tot.

# O

OBedientiam qualem præſtare debeant filii parentibus. 4.præcept.decal. dub.1. 65.
Obedire filii non tenetur parentibus in rebus peccaminoſis.ibid.
Occiſio qualis ſit homicidium. 5. præcept. decal. dub.1.69.
Occiſio injuſta qualis ſit. ibidem.
Occiſio propriæ perſonæ prohibita eſt. ibid. 69.
Occiſor alicujus hominis tenetur ad recompenſanda omnia damna illata propter occiſionem. ibid. dub.3. 75.
Occiſor etiam à juſtitia punitus debet damnorum reſtitutionem facere. ibidem.
Odium Dei eſt contra Charitatis præceptum.1.præcept.decalog. dub.4. 29.
Officium Divinum quinam recitare teneantur.ibid.dub.ult.37.
Officii Divini recitationem omittens graviter peccat. ibidem.
Officium Divinũ recitare utriuſque ſexus Religioſi tenentur. ibid.37.
Opera prohibita in diebus feſtivis. 3. præcept.decal. 61.
Opera ſervilia facere in diebus feſtivis quod peccatum ſit.ibid. 61.
Originale peccatum quomodo remittatur.1.præc.decal.dub.2.
Oſculum habitum ob ſenſualem delectationem peccatum grave eſt.6.præcept. decal. dub.3. 89.
Oſculum habitum ob veneream delectationem peccatum mortale eſt. ibidem.
Oſculum datum ratione urbanitatis abſque ullo ſenſuali motivo nulla culpa eſt. ibidem.
Oſcula in conjugatis omni tempore licita ſunt,dummodò non ſit periculum pollutionis extrà vas. ibid. 90.

# P

PAganiſmus quid ſit.1.prȩcep. decal. dub.2. 25.
Pacem non dare inimico petenti eſt grave peccatum, & contra charitatem.5.præcept. Decal.
Parentes peccant mortaliter, ſi extremis filiorum neceſſitatibus non ſubveniant. 4.præcep. decal. dub.2. 6.
Parentum nomine quinam alii comprehendantur. ibidem.
Pater, quam habeat erga filios obligationem. ibidem.
Pater diſſipans bona domus in notabili quãtitate peccat mortaliter. 7.præc.decal.dub.1.103
Pauperes eximuntur à jejunio præcep.Eccleſ.dub.3. 151.



Digitized by Google

Pax petitá ab inimico eſt injuriæ illatæ recompenſatio. 5. præcept. decal. dub. 3. 75.
Peccatum mortale quid ſit. prænot. gener. 1.
Peccatum veniale in quo differat à mortali. ibid.
Peccatum veniale quomodo poſſit fieri mortale. ibid.
Peccatum actuale per quid ab habituali diſtinguatur. ibid.
Peccatum originale differt ab actuali. ibid.
Peccatum aliud eſt commiſſionis, aliud omiſſionis. ibid.
Peccatum commiſſionis, non eſt peccatum omiſſionis. ibid.
Peccatum, & externè, & internè fit. ibid. 3.
Peccatum contra naturam quid ſit. 6. præcept. decal. dub. 2. 85.
Peccati contra naturam quot ſpecies aſſignentur. ibid.
Pœna temporalis condonatur per Indulgentiam. de Indulgent. 175.
Perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis quomodo ſint adorandæ. 1. prçcept. decal. dub. 1. 20.
Pictura, an diebus feſtivis prohibeatur. 3. præcept. decalog. dub. 1. 59.
Pigritia quid ſit. dub. 7. 18.
Pollutio voluntaria eſt peccatum mortale. 6. præcept. decal. 85.
Poſſeſſor bonæ fidei, ad quid teneatur. 7. prçcept. decal. dub. 3. 100.
Poſſeſſor malæ fidei ad quid teneatur. ibid.
Prælati non diſtribuentes bona Eccleſiæ pauperibus, peccant. 7. prçcept. decal. dub. 2. 98.
Prælati, ſi bona Eccleſiæ diſſipent in ludis, & crapulis &c. peccant. ibid.
Prçlati Regulares inutiliter diſſipantes bona Monaſterii peccant. ibid.
Præſumptio in quo conſiſtat. dub. 1. 10.
Prçſtigium quid ſit. 31.
Præcipientes opera ſervilia in diebus feſtivis graviter peccant. 3. præcept. decal. 58.
Prçſentia, quæ requiratur ad adimplendum præceptum auditionis Sacri. 3. prçcept. decal. dub. 2. 61.
Prçcepta primæ tabulæ qualia ſint. 4. prçcept. decal. 62.
Prçcepta ſecundç tabulæ quçnam ſint. ibid.
Pretium legitimum, & naturale quid ſit. 7. prçcept. decal. 97.
Pretium infimum, mediocre, ſupremum, & rigoroſum quid ſit. ibid.
Prodigalitas in quo conſiſtat. dub. 2. 12.
Puſillanimitas quid ſit. dub. 7. 18.
Pyromantia quid ſit. ibid. 31.

# Q

Quadrageſima integra debet jejunari. prçcept. Eccleſ. dub. 2. 146.
Quatuor temporibus anni jejunandum eſt. ibid. 147.



Digitized by Google

# INDEX

## R

Rapina quid ſit. 7. prçcept. decal. dub. 1. 91.
Rapina in ſe ipſa conſiderata peccatum mortale eſt. ibid. 93.
Rancor quid ſit. dub.7. 18.
Raptus quid ſit. 6. prçcept.decal. dub.1. 64.
Raptum committit, qui quamcumque fœminam per vim ad finem inhoneſtum rapit. ibid. 84.
Reatus ad pœnam quomodo deleatur. prçnot. gen. per tot.
Religioſus furando rem pro gravi culpa ſufficientem quot peccata committat. 7. præcept. decal. dub. 4.
Religioſus nil proprium poteſt apud ſe retinere. ibid.
Religioſi auferentes Conventus bona in notabili quantitate graviter peccant. ibid.
Rem alterius injuſtè retinere, eſt furtum facere.7.prçcept.decal. dub.1. 92.
Rem alterius retinere etiam ipſo invito, quando ſit licitum. ibidem.
Reſtitutio quid ſit. 7. prçcept. decal. dub.3. 99.
Reſtituere quis debeat. ibidem per totum.
Reſtituere tenetur qui prçcepit, aut fuit cauſa damni illati. ibid.
Reſtitutio quos excuſet. 7. prçcept. decal. dub. 3. 107.
Reſtitutio famæ, quomodo fieri debeat. 8. prçcept. decal. dub. 2. 125.
Reſtitutio famæ, quando non ſit facienda. ibid.
Reverentia filiorum erga parentes qualis eſſe debeat. 4.prçcep. decal. dub.1.61.

## S

Satisfactio eſt pars integralis Sacramenti pœnitentiæ. prçnot. gener. 7.
Satisfactio in quo conſiſtat. ibid.
Sacrilegium quid,& quale peccatum ſit.6.prçcept.dec.dub.1.84.
Secretũ quotupliciter ſervari debeat.8.prçcep.decal.dub.3.130.
Secretum revelari non poteſt ſine gravi culpa. ibidem.
Secretum, ſeu ſigillum confeſſionis nunquam revelari poteſt. ibidem.
Secretum quando poſſit revelari. ibidem.
Senes ſexaginta annorum exempti ſunt à jejunio. prçcept.Eccleſ. dub.3. 150.
Sculptura, an diebus feſtivis ſit prohibita. 3. prçcept. decal. dub.1.59.
Sententia nequit dari in diebus feſtivis.3.prçcep.dec.dub.1.59.
Servi, & Subditi quam reverentiam propriis præſtare debeant Superioribus. 4. prçcept.decal. dub.2. 65. per tot.
Simonia quid ſit.7.præcept.decal. dub.6. 117.

Simo-

Digitized by Google

Simonia grave peccatum eſt.ibid.
Simonia quomodo obliget ad reſtitutionem. ibid.
Simoniæ peccatum ſacrilegium eſt. ibidem.
Simonia mentalis pura quid ſit. ibidem.
Simonia mentalis mixta qualis. ibid.
Simonia confidentialis qualis. ibid.
Simonia realis quid ſit. ibid.
Simonia jure Divino prohibita, qualis ſit. ibid.
Simonia prohibita jure humano, & quotuplex. ibid.
Simoniæ peccato, quæ pœnæ debeantur. ibid. 221.
Sodomia quid ſit, & quale peccatum. 6. præcept. decal. dub. 2. 87.
Sortilegium quid, & quotuplex. 1. præcept. decal. dub. 5.
Sortilegium verum quale ſit.ibid.
Sortilegium verum quale peccatum ſit. ibid.
Stuprum quid ſit. 6. præcept. decal. dub. 1. 79.
Stuprator quando teneatur dotare mulierem, & quando non. 6. præcept. decal.dub. 1. 80. & 81.
Spes, quid ſit. 1. præcept. decal. dub. 3. 26.
Spe, quomodo Deus ſit adorandus. ibid.
Spei opponitur deſperatio. 1. præcept. decal. dub. 3. ead.
Spei contrariatur præſumptio. ibidem.
Succubus Dœmon, qui dicatur. 6. præcept. decalog. 88.
Superbia quid ſit. dub. 1. 23.
Superbia, cui opponatur. dub. 1. 10.
Superſtitio contra quod præceptũ ſit. 1. præcept. decal. dub. 5. 30.
Superſtitio qualis impia ſit, & peccatum mortale. ibid. dub. 5. 31.
Superiores ſive ſpirituales, ſive temporales, qua teneãtur obligatione erga proprios ſubditos. 4. præcept. decal. dub. 2. 65.
Suſpenſio quid ſit, de cenſur. Eccleſiaſt. 164.
Suſpenſionis motivum debet eſſe culpa gravis. ibid.
Suſpenſionem non æſtimans, incurrit irregularitatem. ibid. 64.

# T

Tactus quicumque cum delectatione venerea facti grave peccatum ſunt. 6. præcept. decal. dub. 3. 89.
Tactus in conjugatis omni tempore liciti ſunt dummodò non adſit periculum pollutionis extra vas naturale. ibid.
Tentatio Dei quid ſit, & quale peccatum. 1. præcept. decal. dub. 5. 35.
Teſtis judicialiter non poteſt examinari in diebus feſtivis. 3. præcept. decal. dub. 1. 59.
Torpor quid ſit. dub. 7. 18.

Va-

# V

VAnagloria, in quo conſiſtat. dub. 1. 10. & 11.
Vectigalia injuſtè imponẽtes contra ſeptimum Decalogi præceptum peccant. ibid. dub. 2. 98.
Vendentes utentes dolo, & fraude peccant. ibid.
Venditio in quo differat ab emptione. 7. præcept. decal. dub. 5. 112.
Venditor decipiens vel in pondere, vel in falſificando mercaturas peccat, & ad reſtitutionem tenetur. ibid. dub. 5. 113.
Votum quid ſit. 2. præcept. decal. dub. 3. 49.
Votum actus Religionis, & Latriæ eſt. ibid.
Votum ſupra quod cadat. ibid.
Votum quotuplex ſit. ibid.
Votum perſonale quid ſit. ibid.
Votum reale quid ſit. ibid.
Votum mixtum quid ſit. ibid.
Votum aliud abſolutum, aliud conditionatum. ibid.
Votum aliud ſimplex, aliud ſolemne. ibid.
Voti tranſgreſſio grave peccatum eſt. ibid.
Votum fieri nequit de re impoſſibili. ibid.
Votum de re indifferenti non ſubſiſtit. ibid.
Vota ſolemnia quot ſint. 2. præcept. decal. dub. 4. 54.
Vota ſolemnia quot annos requirant in vovente. ibid.
Votum obedientiæ in quo conſiſtat. ibid.
Votum obedientię quomodo obliget ſub mortali. ibid.
Votum caſtitatis in quo conſiſtat. ibid.
Votum paupertatis quodnam. ibid. 55.
Uſura quid ſit. 7. præcept. decal. dub. 4. 107.
Uſura quotuplex ſit. ibid.
Uſura mentalis quid ſit. ibid.
Uſura realis, qualis. ibid.
Uſura palliata quid ſit. ibid.
Uxor ad quid erga Maritũ obligetur. 4. præcept. decal. dub. 2. 66.
Uxor furans Marito quantitatem ſufficientem pecuniæ, peccat mortaliter. 7. præcept. decal.

F I N I S.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

6-4

Digitized by Google